

ORDO ET METHODUS
considerandi tractandique
PARTURIENTES,

quam
Jusu & Auctoritate
Illustris ac Gratosissimi COLLEGII
MEDICI in almâ Salanâ,

SUB PRÆSIDIO
DN. AUGUSTINI HENRICI
FASCHII, D.

Anatom. Chirurg. ac Botan. Prof. P. famigeratissimi,
Archiatři Ducalis Saxonici gravissimi,
DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS atque PROMOTORIS æternum colendisfimi,

PRO LICENTIA

Summos in Arte medicâ Honores, Insignia & Privilegia
DOCTORALIA

solenniter & legitimè consequendi,
publico Philiatrorum examini proponet

M. WOLFG. CHRISTOPH. WESENERUS,
HALLENSIS SAXO.

Ad diem Aprilis, ANNO M. DC. LXXV.
In Auditorio Majori, Horis ante- & pomeridianis.

Nihil quicquam hîc obscœni vel lascivi, quod L. vel A. salivam moveat, nisi lasciviori:
si verò animum quis non attulerit impurum, non auferet infectum.
Cass. Hoffmann. Institut. Medic.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISI.



VIRIS
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS,
SINGULARI RERUM USU, CONSILIO, INTE-
GRITATE, AC VIRTUTE VARIA SPECTATISSIMIS,
DOMINIS
UNIONUM,
QUEIS INCLUTA ET FLORENTISSIMA HAL-
LENSIUM CIVITAS GAUDET,
OMNIUM
MAGISTRIS SEU ANTISTITIBUS
GRAVISSIMIS,
FAUTORIBUS WESNERIADUM
A MULTIS RETRO ANNIS LONGE MERITIS-
SIMIS, ADEOQUE SINGULARITER ET PERPETIM
COLENDIS,
DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM
IN
BENEVOLENTIÆ ET AFFECTUOSISSIMIS SIBI SUIQUE
EXHIBITÆ REDHOSTIMENTUM,
ET
CONTINUANDÆ EJUSDEM
INCITAMENTUM,
CUM PROLIXO OMNIGENÆ PROSPERITATIS ET DIVI-
NÆ BENEDICTIONIS VOTO,
AC ULTERIORI OFFICIORUM OBLATIONE,
INSCRIBIT AC DEDICAT,
NOBILISSIMI IPSORUM, AMPLISSIMI ET SPECTA-
TISSIMI NOMINIS
CULTOR AC CLIENS DEDITISSIMUS,
WOLFGANG. CHRISTOPH. VVESENERUS,
PHIL. M. ET MED. DOCTORANDUS.

Q. D. B. V.

De

FELICISSIMO. INGENI. PARTU.

DE. QVE. PARTIS,

VIRTUTE. DOCTRINA. EXPERIENTIA.
HONORIBUS.

*T. T. NOBILISSIMO. DN. AU-
CTORI. DOCTORANDO.*

VV E S E N E R O.

SOLENNITER. ET. EGREGIE.
DE. PARTURIENTIBUS.

DISPUTANTI.

GRATULABUNDI. ADPLAUDUNT.

PRISCUM. QUE. NOVIS. HONORIBUS.

FELICITER.

ADCLAMANT.

EJUSDEM.

QUI. SALANAM. HANC. INCLUTAM.

HODIE. COLUNT.

CIVES.



Parturiunt jam cuncta iterum, Naturaeque Mater
Solvitur in *fœtus* luxuriosa novos.
Parturiunt Elementa : vagus jam
parturit Æther,
Dum lætos aperit Ver geniale finus.
Cernis, ut & Terræ tumeant, partumque minentur,
Concipiantque animas pinguia rura novas.
Parturiunt alacri jam Prata virentia nixu,
Et produnt, quicquid fertilitatis habent.
Quorum præprimis miratur quisque laborem,
quo generant mensis pignora larga suæ.
Pignora lætifico tantoque corusca nitore,
Consimilem cui vix orbis ocellus habet.
Regum cui cedit luxus, pallensque pudore
Cedit Sidonio murice tineta chlamys.
TU quoque non nixu, VV E S E N E R E C O -
L E N D E, minori
Jam *paris* ingenii fertilioris opes.

Lucis

Lucis & apricæ feliciter edis in auras,
Quod Labor & Virtus *progenere* TIBI:
Cui sollers usus & multa scientia rerum
Obstetricantes subdidit ipsa manus.
Nec decore absque Tuo, meritoque laboris ho-
nore

Publicitùs pulcrum *parturis* illud opus.
Sed simul & laudes, Decus & TIBI Nominis in-
gens,
Splendoremque novum sic *paris* atque pa-
ras.

Nempe, ut virtutem *gignit* labor amplus & ar-
tem,

Sic ex his rursus *gignitur* amplus honor.
Nec potis est non ille sequi has, queis ipse peren-
nis

Est comes, umbra velut corporis esse so-
let.

Dixerit hinc quis non meritò TE *fertile Pratum*,
Et quis TE hoc temerè nomen habere pu-
tet?

Nec jam prima Tuæ virtutis *germina* prodis,
Aut primos *fructus fertilitatis* habes.
Jam pridem ampla *seges* magnarum & messis
opima

Frugum in Te pariter conspicienda fuit:
Quum Tibi puniceam conferret jure Tiaram
Hæc eadem ingenii conscia Jenna Tui

Nec

Nec satis illa Tuæ menti, quam fervidus ardor
Majora ad quævis irrequietus agit :
Successum nactus quoque faustum, quando
novello

Nunc *Arte in Medica* mactus honore ve-
nis.

Hinc, quos communi TIBI Patria junxit amore,
Lætitiæ meritò prospera signa damus.

Atque *novum* tenui versu gratamur honorem,
Augeat &, petimus, qui dedit huncce,
DEUS!

Is faveat cœptis & faustiter orsa secun-
det,

Ex TE quò certam sentiat æger o-
pem!

Sic TIBI rumpentur Tua mesibus hor-
rea lætis,

Fertilis & verè terque beatus eris!

F I N I S.





PROOEMIUM.



Vantam stragem quotidie luctuosa inferat parturigo, quantique dolores ex æquo omnes ferè excipiant parituras, neminem sanè latere putamus, quippe cum exempla earum omnibus locis atque diebus attestentur abundè, quòd acerrimis istis & feralibus ferè cruciatibus in partu penitus defatigatæ, in ipsa mortis confinia rapiantur. Quid? quòd mors non tantum præ foribus sæpè consistit, ut *Leo* loquitur, sed intima quoque penetralia subit, donec fugitans tandem anima corpus relinquere inane cogatur. Undè sanctissimus ille Pater *Innocentius* secum hæcce altâ mente reponens *Libr. de miseriâ hominis cap. 6.* rectissimè exclamat: *Concipit mulier cum immunditiâ & foetore, parit cum tristitiâ & dolore, nutrit cum angustiâ & labore, custodit cum instantiâ & timore.*

Etsi enim de Illyricis foeminis *Varro* refert *cap. 10. de re rusticâ*, illas in parturiendo dolores ejusmodi vix sentire, quod de Canarinorum mulieribus, quæ nullius obstetricis adjumento infantes solæ exponunt, attestante solertissimo Orientalis Indiæ indagatore *Job. Hugone de Linschotten descript. navig. Indic. cap. 39.* & idem quoque de foeminis quibusdam Iberiæ vicinis *Clemente Alexandrino* confirmante; omnes tamen pari in enitendo facilitate & *δοροvia* gaudere liquidum non est: quin plerasque (præsertim juvenculas) acerbissimis excruciarum torminibus certum

tum est, ut cum *Medeâ apud Euripidem* ter sub armis maluerint vitam cernere, quàm semel modò parere. Nam juxta *Arist. l. 7. Polit. cap. 16. ἐν τοῖς τοῖσις αἱ νῆαι πνεῖσι π μᾶλλον, καὶ Διαφθέρουσι πλείους.* *In partu laborant magis puella, & percunt plures.*

Hinc & *Elfreda, Anglorum Regis Alouredi Filia* acerbissimam istorum dolorum semel tantùm persentiscens, perpetuò deinceps à viri complexu abhorruisse fertur, stultissimum esse, dictitans, hujusmodi indulgere voluptati, quæ tantum doloris sit factura. Quò factum etiam, ut *Imperator Justinianus §. sed nos 4. Inst. de SC. Tertullian. novell. Leon. 17. Assiduis 12. c. qui potiores in pignore habeantur*, matrî subueniendum esse existimaverit, respiciens ad naturam, & puerperium, & periculum, & sæpè mortem ex hóc casu matribus illatam.

Cùm verò parturientes tantis cruciatibus obnoxia facta sapiùs non sinè cordolio & summâ commiseratione cogantur implorare auxilium & consilium Medicorum & Chirurgorum expetere; non inanem locaturos nos operã putamus, si jussu atque decreto Illustris Facultatis Medicæ dissertationis inauguralis loco exhibeamus ordinem & methodum considerandi tractandique tam naturali, quàm præternaturali aut difficili partu obrutas puerperas, & quid medico, quid obstetrici, quid adstantibus peragendum incumbat, proponamus.

Facilè tamen apud prudentes atque cordatos veniam speramus, si in arduò hócce opere forte àn hallucinemur, cùm, ut annorum, ita quoque studiorum progressus maturitatem adferat ingeniorum monumentis, & rarò laus inchoationis & consummationis in unū incidat temporis punctum. Interim in magnis quid voluisse sat erit.

Tu

30

Tu verò Altissime Vitæ Dator atque Servator Omnipotens, annue nostris ausibus honestis, mortalibus sacris, & illumina mentem spiritu tuo sancto, qui nos ducat in omnem veritatem!

CAPUT I.
Nominis significatum & originem evolvit.

Ordientes hæcce recordamur statim moniti Philosophorum: ἀρχὴ τῆς παιδείσεως τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψιν, *Initium omnis doctrinae esse inquisitionem nominum*, quod Galenus noster verissimo Dempsteri iudicio, Medicus non minus, quàm Philosophus insignis *i. M. M. c. 5.* his eloquitur verbis: ὡς ἐπὶ πάντων ζητούμενων εἰς λόγον καὶ μεταλαμβάνει τὸ ὄνομα, *sed & in omnibus, de quibus queritur, ad rationem oportet transsumi ipsum nomen*, planè ad mentem antiquissimi Philosophi Prodicii, de quo Plato in *εὐθύδημ. p. m. 217.* πρῶτον (ὡς φησὶ Πρόδικος,) πρῶτον ὀνομάτων ὀχθότνημα μαθεῖν δεῖ. *Principio propria tenere nominum significata decet.*

Ut autem rectissimè Thomas de Aquino & ex hoc B. Stablius, Philosophus Academiae hujus etiam post funera clarissimus duo attendenda docet, (1.) *id, ad quod significandum sunt imposita*; (2.) *id, unde ad significandum sunt imposita*, quorum hoc vulgò *Etymologiam*; istud verò *notationem & nominis definitionem* appellitant, ita quoque in præsentī methodicè procedentes hæcce nobis erunt exponenda.

Parturiens ergò erit fœmina, quæ in partione laborat, seu quæ partum edere molitur. Græcis vocatur ἐπιτεξὶς vel ἐπιτεξίς; Germanis *Eine kreuschende oder zur Gebuhr arbeitende Frau*/à doloribus & angoribus, quos tunc sustinet. Aliter *eine kreissende Frau*/quæ propter cruciatus & anxietates corporis & cordis modò in hunc, modò in illum angulum, modò in orbem etiam cogitur.

Pariens ipsum sustinet actum partus, & exclusionem
A 2 ipfam



ipsam, cum nempe foetus, quem per novem menses gestavit in utero, jam ex eodem dimittit & emittit, Germani commodissime exprimunt per vocabulum *Gebähren*/ Græci per *τίλειν*.

Deprehendimus verò apud Autores & horum terminorum à primâ & genuinâ significatione declinationes, quas hîc adnotare non inconveniens arbitramur. *τίλειν* enim

I. Tribuitur animalibus iis, quæ vivos concipiunt & emittunt foetus; & illis etiam, quæ ovum & vermem, ex quibus foràs depositis cum tempore foetus prodit, deponunt aut excludunt, testibus *Ennio* & *Catone*. Hinc Græcis *ὄοθηεῖν ovum parere* & *ζῶον ὄοτόιον, animal oviparum*, qualia sunt pisces, aves, gallinæ, &c. *σκωληκοτόιον, vermiparum*, *Arist. lib. 1. hist. animal. cap. 5. & lib. 2. de gener. animal. c. 1. & alibi*.

II. A Latinis parere pro gignere aut generare positum, & sic etiam de maribus dictum legitur; sed ut *Ambrosius Calepinus* notat, rarissime, nec nisi apud antiquissimos. Venit interim inde nomen Parentis, quod in plurali quoque & de utroque sexu dici, noto est notius. Eumque sensum & quidem frequentius habet quoque Græcum *τίλω*, ut quod apud *Hippocratem* aliosque antiquos indifferenter de foeminis ac maribus dictum esse, pluribus, iisque evidentissimis locis evicerunt *Anutius Foësius Oeconom. Hippocr. & Job. Conrad. Diericus Jatreo Hippocr. uterque in verbo τίλω*.

III. *τίλειν* & Latinum *parere* sæpius metaphoricum habent sensum, quando de figmentis, commentis, inventis, cogitatis vel effectibus, adducitur. Sic Oratorum Princeps & Latinæ eloquentiæ Parens *Cicero l. 3. de Finib.* parere verba idem esse dixit, quod fingere verba. Simile huic asserto *Terentianum* illud: *Veritas odium parit*. Sic regius ille *Psal. VII. v. 15.* *וַיִּלֵּךְ שָׁהִי* quod *Megalander* noster *Luthe- rus* vertit: *er wird aber einen Fehl gebähren*. Et ipse *Cous* (ut reliquos taceamus,) verbum *τίλειν* ad morbos restringit, dum *sect. 3. aphor. 1.* ex mutationibus temporum morbos & mutationes alias exoriri dicit.

Simili in sensu verbum *parturio* usurpari notus ille *verficulus Horatii in arte* testatur:

Par-

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

IV. Metonymicè ponitur pro *acquirere* vel *comparare* juxta *Virg. l. ii. Æneid. v 24.25. inquentem* :

*Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nolis
hanc patriam peperere suo &c.*

Originem quod spectat suam, verbum *Parturio* derivatur à *partu*; *partus* v. vel *paritura* & *partio* pariendi actum denotat. Undè cum à physicis, anatomicis, & medicis tales termini allegantur, fœtus perfecti & maturi enixio vel exclusio intelligitur, ad distinctionem partus immaturi, qui *abortus* vulgò audit. Vid. *Andr. Laurent. controvers. anatom. l. 8. quæst. 29.* & *Joh. Anton. van der Linden Meletem. Med. Hippocr. l. 2. §. 153.*

Præmissâ verborum explicatione prolixiori, rei definitio subjungenda esset. Verùm cum abundè constet ex præmissis, quid parturiens, & quòd partus perfecti fœtus editio sit, contentione fœtus ac fœtæ factâ, ut *Sperlingius l. de format. homin. in utero c. 9.* loquitur, non opuserit, ut anxie inquiramus in illâ, cum in manifestis dissuadeat *Aristot. l. 9. metaph. c. 6.* & *dei*, inquit, *παντός ὄρον ζητεῖν, non cuius licet querere definitionem*, cui asserto monitum *Galenii, vid. Philos. Altorph. diss. 13. thes. 47.* accommodari poterit, quod summò studiò caveri debeat vitium *φιλοεισιίας*, quò sui seculi homines adeò laboraverint, ut olera quoque ementes definiverint. Nec opus semper definitione expressâ, sed sufficit sæpè ipsa rei natura, diligenter tractata & resoluta.

CAPUT II.

Subjectum exponit.

Methodum qui sequimur medicis nostris ordinariam, incumbit jam nobis, antequam causas eruamus, *subjectum* prius exponere, quod ad normam philosophorum duplex constituitur. Primum **UT QUOD**, sola nempe fœmina, est, juxta principem philosophorum *Aristotelem, lib. 1. de generat. animal. c. 2* dicentem : *Mas est τὸ εἰς ἄλλο θυνῶν ζῶον animal generans in alio.* Fœmina verò τὸ εἰς αὐτὸ καὶ ἐξ ἑ γίνεται ἐνυπάρχον, ἐν τῷ θυνῶντι τὸ θυνῶδες, id, quod in se ipso, & ex quò

fit, quod generatur, contentum in eò, quod generat. Ut enim, foeminarum loca genitalia virilibus contraria, & idcirco ad conceptionem sustentationemque foetus aptissime disposita conspicimus; sic nullus foetus vel visus, vel auditus unquam fuit, ex mare qui prodierit. Falsum est & fabula nimis cruda, quæ *Lucianus* veritate tenax *l. 1. vera histor. de gente quâdam lunaticâ* profert, quæ, quid foemina, penitus ignoret; mares autem in pedum furis concipere, eosque tumescentes rescindere, foetumque sic educere mortuum, quem ad vitam dein excitent.

Falsum est quoque, quod *Pancelsus* de homunculo in cucurbitâ clausâ garrrit, *l. 1. de gener. rer. nat. p. m. 259. seq. & præcipuè p. 263. ac l. 3. de vitâ longâ c. 4. p. 175.* & licet sententiæ ejus ferè ab blandiri videantur *Borell. cent. 1. obs. 9. Hanne-man. in prodrom. lexic. p. 566. seq.* optimè tamen hæc nugas rejicit *B. nofter medicorum Coryphæus ROLFINCIUS, Chim. in A. F. R. l. 6. c. 6. Sennert. de Consens. & Dissens. c. 4. p. 84. & Theoph. Spizel. in radice Atheismi p. 56.*

Quâ autem corporis parte foeminæ parturientium nomen propriè mereantur, quodque sic subjectum parturientis PROXIMUM & ADÆQUATUM audiat, meritò investigantes, comuni omnium suffragio fulti UTERRUM hunc esse asserimus, Arvum illud genitale, ut pudenter loquitur *Poëta l. III. Georg. vers. 136.* & præcipua corporis pars, quæ in abdomine ac quidem infimâ regione hypogastricâ dictâ in pelvi ossium ischii inter vesicâ & intestinû rectû tanquam inter duo pulvinaria collocata, huic quidem imposita, vesicæ verò supposita est, ut explicat *Soranus l. c.* Nam hunc uterum esse propriam sequioris sexus partem, quâ potentiam cum mare coeundi, ex eoque concipiendi, conceptumque debitè gerendi, fovendique, atque suò tempore in hæc vitales auras edendi habeant, optimè modo laudatus *Aristoteles cit. loc.* exponit, quem *Galenus medicorum, Parens l. XIV. de us. part. c. 3. & VII. c. 21.* sequitur, nullum, asserens, locum esse commodiorem, sive conceptionem foetuspectes, sive conformationem & incrementum, sive de-

nique

7.
nīque editionem in lucis vitæque brevis usuram, quàm hunc.
Unde nomen uteri illi datum, quòd adimpleatur ac deplea-
tur veluti *Uter*, & quasi ἕτερος fit seu alter sc. venter. *vid. Isi-*
dor. Hispalens. Origin. l. 11. c. 1. & Scaliger Comment. in III. l. hist.
anim. c. 2. text. 22. Græcis verò μήτρα seu *Matrix*, quoniam
mater sit infantum ex se natorum, vel matres eam possiden-
tes faciat. Item ἀελφός seu genitrix adelphorum seu fratrum
uterinorum vulgò sic dictorum, qui eòdem hospitiò usi sunt,
de quibus omnibus fufius *Soranus l. de Uter. & Muliebr. pu-*
dend.

Uterus corpus quoddam continuum, sed ob figuræ suæ,
(quæ urinali vitro non absimilis) & corporaturæ disparita-
tem, quam diversis in partibus exhibet, dividi solet in fun-
dum & vaginam seu cervicem.

Fundus præcipua ejus pars est, & locus conceptionis
proprius, substantiæ carnosæ, ventriculorum ferè gallinace-
orum ad instar, duræ scilicet ac velut ex pluribus nervulis &
membranulis compactæ, simul verò pumicis instar forami-
nosæ, tubulisque infinitis ac amplis cuniculis perviæ atque
peculiari membranâ & foris & intus tectæ, ut nimirum ipse
pro ratione necessitatis magnitudinem suam variare possit.
Exiguus enim dum est in virginibus & mulieribus, ingravi-
dationem non expertis, majusculum vix exæquat pyrum,
vel nucem, annotante *Prosper. Martian. notat. in Hippocr. l. 1.*
de morb. mul. in gravidis ad incrementum fœtus ita ampliatur
dilataturque, ut digitum majorem crassitie postremis mensi-
bus, quin duos penè digitos æquasse, sæpè etiam excessisse,
visus fuerit, uti legere est apud testes ἀπόπιας, *Jul. Cas. Aran-*
tium libr. de human. Fœtu cap. 1. Andr. Laurentium, Histor. Anat.
Lib. VII. cap. II. Harvæum Exercit. de Partu. Joh. Anton. van der
Linden, Medicin. Physiolog. c. 7. art. X. §. 101. p. 299. Thom. Bar-
tholin. Instit. Anatom. Libr. 1. cap. 28. Anton. Eberhardi, Tractat.
de vero & genuino hominis brutorumq; exortu p. 54. ac 55. & Fre-
deric. Ruysch. Anatomicum Lugdunensem celeberrimum, qui an-
nò proximè præteritò elegantissimam delineationem Uteri
cujusdam gravidæ edidit.

Cavi-

Cavitas fundi Græcis κῦτος, λόχος, item χωεῖον f. *loculus* dicitur, quæ conceptioni locum atque domicilium conformationi præbet aptissimum, & in medio ob lineam διμετρῆν f. *medianam*, consimilem illi, quæ in lingvâ vel scrotô apparet, bipartita & quasi gemina videtur, unica reverà unanimi recentiorum consensu. Nam, quod à multis vulgò traditur, duas, tres, quinque, septem vel plures reperiri cellulas in matrice humanâ, pluralitati atque differentiæ prolium dicatas, Anatomia minimè monstrat, imò ruditatis & inscitia in anatomicis argumentum est, non parvæ (verba sunt doctissimi Lindenii, *Medicin. Physiolog. cap. VII. artic. 10. §. 99.*) sed majoris, credere cum Theologis quibusdam Scholasticis, Matricem habere septenas scrobes, quarum singulae in decem rugas dividantur. Summa verò, hinc contendere, posse fœminam totidem fœtus concipere. Nam superfœtationis causa in semine est, non in utero. Similia vid. apud B. Rolf. *Ord. & Meth. generat. dicatar. part. 2. c. 27.* Interim notanda sunt duo illa loca, quæ circa fundi basin utrinq; vestigium ostendunt, & olim à Diocle κεραιαι, *Cornua* à Latinis appellata sunt, quod cornuum recens erumpentium figuram referant, vel ut *tubæ* protendantur juxta Gabr. Fallopium. De quibus verissimum fert judicium Harvæus *Naturalium Scrutator acutissimus exercitatione de generat. animal. 65. Respondere eos, ajens, proportionem reverà cornibus uteri in aliis animalibus, idq; liquidò patere ex ipsorum situ, connexionem, amplitudine, perforationem atq; etiam officio. Quemadmodum enim* (sunt ejus verba) *alia animalia semper in cornibus concipiunt, ita aliquando etiam mulier est reperta, quæ fœtum in cornu s. tubâ illâ genuit, ut Riolanus ab aliis observatum meminit, & nos etiam propriis oculis conspeximus.*

Sub hâc incipit inferior uteri pars, longior atque angustior, quam *cervicem, collum, vel vaginam* uteri, item *sinum muliebrem* quidam vocant, vid. B. Rolf. *l. c. cap. 29.* & Joh. Anton. van der Linden *l. c. art. XIV.* & ad quam ex fundo datur ingressus nimis arctus atque constrictus, quem vulgò *Uteri Os, vel Os internum* nominant, de quô cum plurima vulgò tradantur vera falsaque, nobis sufficiant verba Caspar. Baubini *Theatr.*

ni Theatr. Anat. l. 1. c. 38. Foramen, inquentis, hoc ingressus est in uteri fundum. Quare Hippocrates $\sigma\omicron\mu\alpha\ \tau\omega\upsilon\ \upsilon\sigma\iota\pi\acute{\epsilon}\omega\upsilon$ vel $\tau\omega\upsilon\ \mu\eta\tau\epsilon\acute{\rho}\omega\upsilon$, os uteri; Galenus cervicis internum orificium nominavit. Per hoc enim fundus recta in cervicem debiscit, hoc transversum est, oblongum formâ, os catelli in iis, quæ utero gestarunt, aut tinca vel lucii piscis, quando uterus siccus est, foramen penis glandi insculptum referens, & mensibus fluentibus molle ac ovale est, ita ut totum orificium cum rimâ transversâ, quasi literam \ominus referat: parvum & angustissimum, ne vel semen semel conceptum facile effluat, neve quid noxii uteri cavitatem subeat; recta fundum respicit, quò semen virile (quomodo statuit ille ex pervulgatâ in scholis Galenicis opinione) recta ad orificium hoc per cervicem ejaculetur, & ab utero facile attrahatur, si enim vel aversum, vel transmutatum sit, multa mala facere Hippocrates docuit. De hoc singularis est observatio experientissimi Harvaei exercit. de animal. generat. 65. annotantis, tam arctum atque constrictum ipsum esse, ut, licet ex fundo in vaginam tendenti corpori transitum permittat, ingressum tamen ex cervice in matricem omnem præcludat, quin ne aeri quidem inflato transitum permittat. Debit nempè (sunt ejus verba) flatui, sanguini menstruo aliisque humoribus excernendis via patescere, rerum autem externarum etiam minimarum, (aëris puta aut feminis) ingressui omninò præcludi. In aliis omnibus animalibus orificium, illud uteri eodem modò occlusum reperitur, quò in muliere solet, in quâ fores has arctè adeò interdum clausas novimus, ut menstrua, lochia aliive humores ob denegatum iis exitum in utero retenti symptomata hysterica sævissima excitaverint, ac propterea instrumentum ad hanc rem idoneum excogitare opus fuerit, quò apertò hoc uteri meatu intus stagnantia foras profuerent, & prædicta accidentia dissiparentur; tum etiam ut injectiones in uteri cavitatem penetrarent, quibus ego ulceribus matricis internis & sterilitati aliquando medelam attuli.

Quantum ad substantiam colli uterini, eam optimè describit Soranus locò sæpè citatò inquit: Sinus muliebris est quadantenus circularis, ut intestinum, latius interius, angustius exteriora versus. Exterius autem ubi desinit hoc collum, quod qui-

B

bus-

busdam os uteri externum, item etiam sinus pudoris vocitari asfo-
let, in quo plurima occurrerent recensenda, quæ curiosio-
res scriptis reliquerunt, modò prolixitatem admitteret no-
strum institutum. Enimverò, ut benè monet Corn. Celsus
Lib. 6. c. 18. difficile esse explicationem hanc simul & pu-
dorem & artis præcepta servaturis; sic putamus, nos omnes
eas partes ac loca, utpote ad rationem partus declarandam,
nihil facientia optimè posse præterire. Legatur fusius isthæc
tractans laudatus modò Lindenius l. c. art. 15.

Ultimò locò annectimus *adherentiam Uteri*, quæ cervice
 vicinis ferè omnibus partibus adhæret, partim pingvedine,
 partim etiam membranis; fundò verò per *quatuor ligamenta*
 peculiaria; *duo* sc. membranosa, *mollia laxaque*, quæ supernè
 ad uteri latera orta alarum instar vespertilionum (quo nomi-
 ne etiam hodiè communiter vocantur) expanduntur; ;
duoque alia nervea ac teretia, quæ à fundi lateribus, iis nempe
 in locis, ubi tubæ Fallopianæ uteri committuntur, prodeunt,
 hincque supernè per processus peritonæi ad inguina ferun-
 tur, ubi ab utraque parte, supernâ ac infernâ, glandulis suf-
 fulta, partim supra ossa pubis in latam nerveamque exilita-
 tem, propè clithoridem facessunt & quasi evanescent, juxta
Regn. Graesium tract. de mulierum organ. cap. 10. partim verò in
 carnosam feminum membranam expanduntur, quorum pro-
 lixiorem descriptionem exhibet *Lindenius l. c. art. 10. §. 104.*
Vid. & Aetium Tetrab. 4. serm. 4. c. 1. p. m. 779.

RIMA pudendorum, ut ut laboret puerpera, pati etiam
 cogitur. Hæc in primiparis stricta cum sit, magis; in aliis
 verò dilatata & amplior reddita, minùs afficitur.

Neque OSSA, quæ PELVIM, vel cunabula fœtûs ma-
 terna constituunt, intacta relinquuntur, sive naturaliter,
 sive difficulter laboret puerpera. Hæc ossa pro ratione con-
 formationis suæ modò magis, modò minùs laborare, certum
 est, quæ cum angustiora à naturâ sint, ab invicem laxari, sen-
 tit *Harvæus*. Emollitur enim eorum connexus præcipuè circa
 ossa pubis, quæ beneficio *συγχωνδρωσεως* compacta sunt. Du-
 plò verò crassior est à naturâ hæc *συγχωνδρωσις* facta, ut tempo-
 re par-

re partûs aliquatenus laxari possint, autoribus *Riolano enchi-
rid. anatom.* & *Thomâ Bartholino anatom. renovat. l. 4. c. 16.* ad
impetum fœtus exeuntis. Eam ob causam etiam brevioram
in mulieribus hanc observamus συγχρόνως, quàm in ma-
ribus.

Spigelius lib. 2. de corp. hum. fabrica cap. 24. ossa non so-
lùm pubis accusat, sed articulationem illam dilatari etiam,
quæ os sacrum cum ossibus ilii connectit, asserit, pro ratione
tamen circumstantiarum magis & minus. Ejusdem *senten-
tiæ est quoque Mercatus lib. 4. de aff. mul. cap. 3.*

CAPUT III

partus causam immediatam ac mediatam proximioram de- finit.

IN hâc parte, tanquam fertili naturæ agro, fatus quasi fœtus
vitæ suæ accipit primordium, & ubi debitum maturitatis
punctum adimplevit, officinam evalvat, atque in hæc vi-
talis luminis auras prorumpit, quem ipsum ejus exitum at-
que exclusionem nomine partus indigitari supra comme-
moravimus. *Sed* cum scire sit per causas rem cognoscere,
meritò partus quoque causæ nobis nunc erunt inquirendæ.

CAUSAM PARTUS PROXIMAM ET IMMEDIATAM sistimus
FACULTATEM UTERI EXPULTRICEM. Is enim, cum conce-
perit fœtum, non semper sibi affixum servare; sed potius suò
tempore emittere atq; excludere, quò ipse à matre separatus
vitam animalis & porrò quoque hominis vivere possit, inten-
dit. De hâc facultate, ut aliis partibus, sic & utero conjun-
cta prolixè *Galenus libro III. de natural. Facultatibus c. 3.* & alibi
passim agit. *Conf. Ludov. Mercat. Tom. III. Oper. l. 4. c. 1. pag. mi-
hi 706.*

Verum quum non protinùs, ubi genitus & formatus est
fœtus, excludatur, sed longò potius tempore in uterò deti-
nea

neatur atque fervetur, usque dum ad eam perductus fuerit perfectionem, ut à matre separatus sine noxâ & periculo in externô aëre vivere, alimenta solida appetere, eademque concoquere possit, quæritur, & exponendum erit, quidnam moveat uterum, aut ejus facultatem expultricem, ut isto demùm tempore, non autem prius ad propellendum fœtum, infurgat? & respondetur, (pace tamen aliorum dissentientium) cum *Hippocrate Libr. de Naturapuer. Aristot. Libr. 4. de gener. animal. cap. 8. Galeno libr. III. de natural. facult. cap. 12. libr. XV. de usu part. cap. 7. & comment. in sect. 5. aphor. 37. Avicenna libr. III. canon. fen 21. tract. 1. c. 2.* causam esse sufficientis alimenti defectum seu penuriam, quô fœtus indiget ad suam vitam. Sic enim *Hippocrates: Dum indies augetur fœtus, plenus, perfectus ac maturus evadit mense nono. Alimentum verò, quod ipsi suppeditatur tunc à matre, cum non amplius sufficiat, copiosius desiderat, manibus sese movet ac pedibus calcitratur, membranasque, quibus obvolvitur, perrumpit, quod dum fit, ipsi utero quoque molestus fit, indeque, & hic ad expellendam molem dolorosam incitatur.* Cui experientissimus *Harvæus exercit. de Partu addit humoris ejus, qui in amniô adhuc continetur, ex fœtus excrementis inquinacionem & contractam acrimoniam, quam dum sentit fœtus, dolet, commovetur, & exitum molitur. Avicenna citato loco addit etiam caloris in fœtu augmentum, indeque refrigerationis desiderium, ac uteri angustiam.* Grandior enim factus iste, spatiosorem requirit locum, ne undiquaque constringatur comprimaturque. Quibus omnibus consentire videtur prælaudatus *Harvæus*, & qui cum illo faciunt.

Ex his patet, facultatem uteri expultricem esse causam partus immediatam.

PROXIMIOREM MEDIATAM CAUSAM constituit ipse FOETUS, qui alimenti majorem copiam exoptat, dehinc exitum meditatatur, exclusionem sui desiderat, motu insolentiori uterum incitat, stimulat, impellit, usque dum MOLIMINE vel conatu propriô claustra, quibus inclusus est, perrumpat & in hoc mundi theatrum prodeat.

Illu-

Illustratur hic eruptionis modus ab Hippocrate libr. de nat. puer. exemplō τῆ νεκρῆ ἐν τῆ ὄψι, ὅς, ἐν ἔχων ἀρκέειαν τροφῶν, ἀφ' ἧς ἡσέλα, κινεῖται ἰσχυρῶς ἐν τῶ ὄψι, ζήλει τὴ τροφῶν πλείονα, καὶ τὰς ὑμένας διερρήγνυται, pulli in ovo, qui, cum non habeat, undè sufficienter vivat, fortiter movetur, uberius queritans alimentum, pelliculas vel putamen ferit & dirumpit.

Quod de gravitate vel pondere fœtus mortui quidam adducunt, illam simul causam sociam haberi posse, vel solis animalium quadrupedum exemplis contrarium demonstra- vit Harvæus l. c. & ex illo Anton. Everhardi.

Veritati consentaneum videtur, quando vel vivi fœtus, vel etiam mortui ex vivis eduntur matribus, vel contrà ex mortuis matribus fœtus vivi, succumbente unâ parte alteri indubiè omnem actionem esse adscribendam. Vid. de his exempla ap. Val. Max. Diomed. Cornar. Paul. Eber. Job. Matthæum, Heinr. Staped. ac Gvilielm. Fabr. Hildan. item Gregor. Ny- mann. dissertat. de vita Fœtus in Utero, Autorem Sphyng. Theolog- Philosoph. cap. 17. Philip. Salmuth. obs. med. cent. 2. hist. Johan. Riolan. Anthropograph. l. 6. c. 8. Wolfgang. Silber / Pastor Greif- fenb. in Silesia Fasc. concion. memorab. p. 780. Job. Vesling. obs. med. select. histor. 7. & Thom. Bartholin. Anat. rarior. cent. 2. hi- stor. 99.

Dubium solummodò restat de fœtibus mortuis ex ma- tribus mortuis expulsis, quod experienciâ suâ movent Job. Georg. Schenkus, observ. med. l. 4. p. m. 650. Job. Philipp. Hæch- stetterus, Observ. Med. decad. 6. cas. 3. item prælaudati modo Barthol. l. c. & Salmuth. l. c. histor. 36. ubi, cum nulla adsit, vita vel actio aut potentia vitalis, nec Matris mortuæ utero aliquam facultatem expultricem, nec fœtui defuncto nisum aut commotionem vitalem exitum promoventes adscribere poterimus. Ad quod quid responderi possit, paucis expla- nabimus, nempe; probant saltim fœtus mortuos, juxtâ ma- tres mortuas jacentes fuisse conspectos, sed hinc non sequi- tur, mortuos ex matrice per vaginam perrupisse. Pro- cul dubio vivi extiterunt perrumpendo, & in ipso exitu vel brevi post extincti, ut ideò iis, quæ de partus causis asserui-

mus, ex hisce nihil immineat periculi. Pergimus proinde ad reliqua, quæ de causis Partus addenda restant, brevibus quoque evolvenda.

CAPUT IV

causis mediatis remotiores supranaturales & naturales adducit.

MEDIATÆ REMOTIORES CAUSÆ quatuor constituunt classes, quarum prima comprehendit & recenset SUPRANATURALIA. Etsi inter omnia animalia mulierem difficillimum experiri partum æterna voluerit sapientia, quò tanti sceleris in Paradiso commissi pœnas ferret dignissimas, & nunquam ejus oblivisceretur; Attamen per magica sacra, divini numinis indultu, adhuc tum abortum, tum partum quoque difficillimum sæpè veneficia causasse, testes sunt *Martinus Delrio, è S. J. disquisit. Magic. libr. 6. p. 1. c. 3. sect. 3. & Baptista Codronchio lib. 2. de morb. venef. c. 3.* Unde ex solò vetulæ cujusdam contactu fœminam nobilem fœtum in frustra comminutum ejecisse, & aliam mulierem aliquoties abortum, fœtu nimirum septies in uterò vi veneficii enecatò, esse expertam, refert *excellentissimus Sennertus libr. 6. prax. de fascinat. & incant. part. 9. cap. 3.*

Ex NATURALIBUS primas obtinet TEMPERAMENTUM cum totius corporis, tum & seorsim uteri, ac partium, circumjacentium. Hoc enim quale fuerit, talis quoque erit potentia & habitus corporis, indeque partus velox vel tardus, facilis vel difficilis, felix vel infelix, quin maturus quoque vel immaturus & præcipitatus quasi subsequetur, juxtà verba *Coi sect. 5. aphor. 44. & 45.*

HABITUS CORPORIS densus, obesus, pingvis, vel etiam mollis, rarus, disponunt tam ad facilem, quam ad difficilem partum. Et quidem pingvedo omenti, os uteri dum com-
pri-

primit, exitum non modo foetui præcludere, sed & parturienti laborem causare potest eò majorem.

Facilitant partum VIREs, ÆTAS, CONSVETUDO, ut & MORES ac VOLUNTAS. Etenim mater robustis viribus prædita, ætatis mediæ, animosa, morigera atque patiens, quæque aliquoties peperit, *εὐτορίαν* sibi indubiam polliceri potest. Contrà *Primipara*, Hippocrate bene notante *l. de naturâ pueri sub finem*, &, quod Aristoteles addit, *7. polit. c. 16. juvenula*, 14. 15. aut 16. annorum, quibus genitalia admodum stricta sunt atq; angusta, duriores pati solent partus, adeò ut harum plures quoque succumbant & moriantur.

Tale fatum sæpè experiuntur, quæ annosæ vel ætate proveciores 40. ad 50. annorum sunt, dum partes earum sicciore extensioni ac dilatationi minus aptæ sunt, sicut attestatur Galen. *l. de dissect. uter. c. 3.* Confer Roderic. à Castro *lib. 4. de morb. mulier. c. 6. Melch. Sebizium Exerc. medic. l. 1. th. 5.*

Multum hîc foetus facit masculus, qui robustior æstimatur fœmellis. Hunc facilius pariunt & felicius excludunt matres puerperæ, testantibus Avicenn. Avantio *L. de partu.* Nec minus præstat magnitudo corporis florida, quam optimè explicat Felix Platerus *Prax. libr. 2. c. 9.* Videantur exempla apud Petr. Forestum *libr. 25. obs. 71.* & Thom. Bartholin. *cent. 5. histor. 43.* Ex adverso verò, minor cum fuerit foetus, quàm ut tunicas disrumpere valeat, partum impedire magis, quàm juvare, testes sunt Aristoteles *7. histor. animal. cap. 4.* Paul. Æginet. *lib. 3. de re medic. cap. 76.* & Aetius *tetrab. 4. sermon. 4. c. 22.*

Inter res NON-NATURALES ponimus AEREM Hippocratis iudicio *libr. de flat. text. 4. n. 9. μέγιστον ἐν ἀπασιν τῶν συμπλομάτων δυνάστω, maximum ex omnibus, quæ nobis accidunt, dominum, causam & autorem vitæ & morborû in agrotis.* Hic, uti sanitatis non levis existit causa, ita partus quoque aut gravidarum dispositionem ad partum necessariam ab ipso dependere, testes sunt varii illi effectus, quos ab ejus mutatione, in gravidis sæpius accidere videmus. In regionibus certè soli vicinioribus gravidas facilius parere, foetusque vegetio-

res



res edere exemplo Brasiliensium attestatur *Juliemus Piso hist. natur. & medic. India occident. libr. 2. c. 17.* quoniam (juxtà rationem adductam *Antonii Everhard. tract. de ver. & genuin. homin. atq; brutor. exortu p. 270.*) beneficio aeris calidioris uteri fetus exclusioni magis obedientes redduntur, simili modo, quò à *Naupegis asseres rigidi substructi ignis beneficio flexiles efficiuntur.* Contrariè autem *austrinum, hyemalem & universim omnem frigidum ac pluviosum aerem parturientibus minus favere jam olim Hippocrates adnotavit libr. de aer. aq. & loc. & 3. aph. 12.* cui etiam assentitur *Avicenna libr. III. canon. fen 21. tr. 2. c. 21.* Unde scriptis celeberrimus *Bartholinus* de suâ patriâ, *Dissert. de insolid. part. human. viis c. 3. §. 6.* *Iniquum, inquit, est puerperis nostris cælum nostrum, ut puerperia vix sex hebdomadibus finiantur, quum in Gallia viderim, puerperas vix uno die inter lecti claustra contineri potuisse.* Confer *Moschion. libr. de passion. mulier. Victor. Trincavell. libr. de morb. particul. XI. c. 24.* qui non minus etiam aerem calidiorē parturientibus nocere asserunt, eò quod vires dissolverentur à nimiò calore, & gravidæ infirmiores ac ineptiores ad ferendos labores partus redderentur, vid. *Erot. de pass. mul. c. 19. & Primeros. de morb. mul. l. 4. c. 7.*

Præcipuè huc faciunt *Aeris puritas & impuritas.* Inquinationem aeris à *pestilenti contagiò* vel *ab extinctæ lucernæ fumis* partum antè tempus accelerasse, abortumque causasse memorant *Aristot. lib. 8. de histor. animal. c. 24. & Plinius hist. nat. libr. 7. c. 7.*

Huc spectant etiam *benè olentia*, de quibus cum *Avicennâ* notat *Trincavellius l. c.* non minus fursùm uterum atrahendo partui moram adferre, sed & difficultatem atque periculum.

ASTROLOGI quoque addunt *benignos vel malignos siderum aspectus* partum vel accelerantes & facilitantes, vel etiam retardantes, uti videre est apud *Ludov. Mercat. Tom. III. oper. l. 4. c. 1. p. mibi 707. & Sebizium Exerc. 49. th. 5. & Beat. Dn. Socerum nostrum Dn. Gottfried. Mæbium, Prof. quondam hujus Salanæ meritissimum & Æsculapium felicissimum, in Astrolog. Ocul. med. sinistr. oper. MS.*

Secun-



Secundas tenent ALIMENTA, quibus ad vitam transigendam utimur & indigemus. Ab hisce parturientis fœtusque vires dependere fortè nemo erit, qui ambiget. Rationem vide apud *Victor. Trincavellium Lib. XI. de ratione curand. partic. human. corp. affectus, cap. 24. ex Galen. 1. de Symptom. caus. deductam comment. 55.* Inprimis autem præstans hîc ad partum conferunt symbolum *humectantia alvumque blandè laxantia.* Hâc benè evacuatâ intestinum rectum, utero à transeunte fœtu dilatato, cedere, amplioremque locum illi parare, autor est *Sebizius c. l.*

Inedia contrâ fœtui alimentum subtrahentes juxta *Galen. 5. aphor. comment. 51.* nunquam erunt tutæ; neque cibi ficciores vel adstringentes.

Aquas limpidas, odoratas, molles atque amœnas bibentes fœcundissimas esse facilèque parere; contrâ verò multas ob aquas duras, coctu difficiles atque frigidas duras esse, & *τιςλειν χαλεπώς, agrè parere* memorat *Hippocrates, lib. de Aer. Aq. & Loc.* Præcipuè autem & *quantitas alimentorum & utendi tempus* sunt advertenda, quæ si modum servaverint, bona; mala verò, si excesserint. Benè enim monet *Moschio libr. de passion. mulier. Jejuna,* inquiens, *facilius pariunt repletis.* A tumido ventriculo magis comprimitur & læditur uterus, & calor ad coquendum magis cibum, quàm juvandum partum trahitur, parturiensq; difficilius laborat, juxta *Hieronym. Mercurial. l. 2. de morb. mulier. c. 2. p. m. 48.*

Calidiora potulenta, quale Vinum Hispanicum, immoderate & temerariè assumptum, nocuisse novimus exemplo cujusdam, quæ non unâ saltim vice fœtum enixa est debiliorem, & dehinc mortuum.

Hûc spectant *medicamenta & operationes Chirurgica,* secundùm quid necessariæ, juxta *Brunonis dogm. med. general. part. 1. cap. 6.* quatenùs vel facultatem expultricem irritant, vel removendo impediunt, vel fœtui alimentum subtrahunt, & ita causa partus existere possunt. Styptica enim, narcotica & alia fortiter agentia, licet stimulum addere non videantur, temerariè tamen & præcociter usurpata, plus obfuisse

C

quàm

quàm profuisse, testatur *Salmuth. cent. 1. obs. 16.* ita ut mater & foetus ad plures transire cogantur.

Idem restringendum ad intempestivam & copiosam sanguinis missionem, quam abortum sequi docet *Cousf. 5. aph. 30.*

Balnea ex aquâ dulci, vel herbis appropriatis partes uteri laxare, humectare, emollire valent, dilatationemque promovere, præsertim brevibus diebus ante instans partus tempus.

Idem sit iudicium de *pediluvio*, juxta *Erot. de pass. mul. c. 17.*

SOMNUS & VIGILIAE moderatæ temperamentum, viresque corporis dum servant, mutationibus periculosis occasionem præscindunt, & matri foetuique sunt salutis. Si vero juxta *Hippocr. 2. aph. 3. ἀμφοτέρω τῶ μετρίω μᾶλλον ὑπόμεινα, κακόν, utraq; modum excefferint, malum* portendunt ob caloris debilitationem atque virium labefactionem. Vid. *Scipionis Mercurii libr. Obstetric. à Nobiliss. Dn. D. Welschjo, Prof. Publ. Lipsiens. celebratissimo German. edit. part. 1. c. 19.*

MOTUS & QUIES opem partui afferre possunt, quatenus parturientis foetusque situs suscitant, & hujus etiam situm naturalem & egressui commodum vel servant, vel procurant, vel casum aut abruptionem placentæ tandem faciunt, undè obambulationes ante partum modicæ svadentur, quamdiù modò puerperæ possint.

Nimum motum autem abortum sæpè causare, vel partum difficiliorem reddere, foetus situm pervertendo, testantur *Hippocr. lib. 1. de morb. mul. Fernel. lib. 6. patholog. cap. 17. Galen. 4. aph. comm. 1.* Hoc ipsum variis exemplis comprobatur *Excell. Dn. D. Præsidis* experientia, & quidem post *veturam* per unam vel alteram horam in curru pendulò abortus minores & majores secuti in diversis matronis. Post *veturam & subsequentem saltationem* vel choream institutam honestam sequenti nocte hæmorrhagia uteri in prægnante ultra dimidium subsecuta, quæ tamen in tempore per convenientia medicamenta sedata fuit. Post *adscensum & descensum scalarum* domesticarum secuta est hæmorrhagia uteri violenta, & talis quidem, ut unò impetu per uteri vaginam cruore matula adimpleta fuerit, iterumque per aliquot vices & dies redierit.

dierit. Nonô die partus difficilis quidem subsecutus, sana tamen in hunc usque diem produit puella. Extremè conquassata mater à mortis violentiâ liberata vivit adhuc incolumis. Post *equitationem* Celsissima Ducissa, & Illustris Comitissa quædam abortum passæ sunt, Illa 5. mensium, hæc trium.

Sicuti autem nimius motus abortus causa & simul perversionis à situ naturali esse potest; ita quies nimia difficultatem in pariendo causare valet. In otiosis colliguntur variâ excrementa, quæ aliàs à laboribus & exercitiis moderatis dissipantur. Vid. *Arist. lib. 4. de gener. animal. cap. 7.* Hinc *idem*, consilio nescio num magis pio, num sanitati gravidarum convenientiore, præcipit *7. polit. cap. 16.* prægnantes mulieres curam habere corporum, *μη παρδουμέλας, non pigrescentes esse,* sed iter quoddam facere ad Dearum sacra, ut quæ fortitæ sunt concipiendi honorem.

Quòd autem faciliùs pariunt, laboribus moderatis assuetæ, testantur vel ipsæ pauperculæ rusticæ, quæ totò gestationis tempore plurimos & durissimos ferunt labores. Imò huic rei testimonium afferunt *ancilla meretrices*, quæ clanculum post fores compressæ, clanculum parere student; hinc duros labores suscipiunt, geruntque eâ spe, fore ut abortum procurent. Sin voto non respondeat hoc desiderium, tempore partus ambulat ad vicinos pagos, & sæpiùs in viâ solæ sine obstetricis ope fœtus pariunt, deponunt & auferunt.

EXCRETA & RETENTA si à justis naturæ legibus exorbitant, modò retardare, modò partum facilitare queunt. Nam *alvi constipationes & urinarum suppressiones* uterum comprimere & *δυσουρίαν* efficere censet *Aetius tetrab. 4. serm. 4. cap. 22.*

Huc spectant etiam *per alvum evacuationes* tempore gestationis notabiles juxta *Hippocr. 5. aphor. 33. & 60.* *Hæmorrhagia uteri* ab intempestivò motu corporis quantum ad *δυσουρίαν* conferat, præcedentes declarant historiæ.

Neque VENUS ipsa est, quæ parcat parturientibus. Exercitium istius à contrario patratum, crebriusque institutum ab *Hippocr. lib. 2. de superfætatione* dissuadetur: Sin mulier prægnans venerem non exercent, faciliùs liberabitur. Ut

enim agri confiti non sine seminum injectorum pernicie aratro aut vomere profcinduntur; ita gravidis virorum amplexus non sine variâ tenelli fœtus alteratione accidere solet, inquit *Lipsius lib. 1. de constant. cap. 14.*

ANIMI PATHEMATA, quibus præ cæteris sequior sexus indulgere solet, suum addunt *ἄλλοι μέρῃ*. Modus utpote omnibus in rebus optimus, in his etiam cum habeatur, sanitati prægnantis plurimum conferet emolumentum. *Im* verò excedens, *pavor, terror, tristitia, metusque* à circumferentiâ ad centrum moventes, ut & *gaudium insolitum*, à centrô ad circumferentiam alterans, non rarò corrumpunt uterum & simul fœtum, tragœdiasque tales producant. Testatur hoc ipsum honesta ex nostrâ urbe matrona, quæ ultrâ dimidium gravida terrore & timore percussa febrî corripitur ardente, nonô die abortum passâ decimô tertio die succubuit.

Terror à tonitru subito perceptus juxta Vidum Vidium lib. 11. de curat. membrat. cap. 32. idem causare potest.

RES PRÆTERNATURALES sæpè etiam causarum naturam induunt, dùm vel irritant ad expulsionem fœtus, vel eundem infirmant & ita disponunt, ut amplius contineri nequeat. Quadrant hùc omnia illa, quæ *Hippocrates de gravidis adducit diarrhœa laborantibus lib. 5. aphor. 34.* Item *febricitantibus l. c. aphor. 55.* vel quibus *tenesmus* supervenit *lib. 7. aph. 27.* aut *ventris & lumborum doloribus divexantur lib. 1. de morb. mulier.* Similia notat *Galenus 5 aph. 45.* item de *convulsione, comment. 3. sect. 3. lib. 1. de Epilepsiâ, Job. Raph. Moxius: de albô mulierum profluviô, Vidus Vidius: de malaciâ Job. de Bontherap. puerper. part. 4.*

Hiscæ annumerari quoque possunt ipsius uteri partiumque circumjacentium dispositio præternaturalis, quando

Vel (1.) *intemperie* quâdam aut inflammatione laborat, quâ de *Hippocr. 5. aph. 43.*

Vel (2.) *malâ conformatione* affectus est, ita ut vel nimis angustus, parvus, magnus, secundùm *Hippocr. l. de morb. mulier. Alex. Massariam & c.* aut situ ordinario mutatus, juxtâ *Senner-*

tum

tum l. c. Vel meatibus indispositis, vel os ejus constrictum, collum durum, distortum, aut planè quasi cartilagineum videtur, juxta Galen. libr. de dissect. uter. cap. 3. vel penitus coaluit, & vagina cavitatis adnata est; quale exemplum ex Harveo adducit Anton. Everhard. l. c. p. 253. Vel monstrosi quidpiam continent, secundum Bartholinum, observ. cent. 5. hist. 9. Vel scirrhum, vel carunculam adnatam habet, cujus meminit Hildan. in respons. ad Döring. de hern. Uter. & cent. 1. obs. 67. Knobloch. in epist. med. Georg. Horst. sect. 17. aliique.

Vel (3.) Soluta unitate affligitur, Vulneribus nempe, ulceribus, aut rupturis, aliisque, quibus continuitas dissolvi potest, quæ Fabr. Hildanus cent. 4. obs. 57. declarat.

Vel ossa pubis nimium sunt connexa, juxta Roderic. à Castro l. c. & Harv. l. c. vel vitium in *συμφύσεσ* aut *συγχωνδρώσεσ* existit, aut etiam musculis abdominis, ut officio suo in comprimendo fungi non possint; vel etiam pulmonibus, in continendo spiritu; aut quando anus prolapsus, peritoneum ruptum, aut calculi majores vesicæ inhaerent, de quibus omnibus consulantur autorum observationes;

Vel tandem, cum fetus iisdem morbis est contaminatus, aut vitiosum querit exitum, membranisq; vel plus justo crassioribus, vel tenuioribus est involutus, judicio Aeginet. & Aëtii loc. cit.

Omnia hæc, & plura alia hisce similia, non tam partus, quam abortus potius, vel *δυσγονίας* causæ esse possunt, & attentionem probè merentur.

CAPUT V

modum partus describit.

Sicuti amoenissimi arborum quarundam fructus, cum, naturæ beneficiò non exiguo, ad integritatem suam & maturitatem pervenerunt, corticibus suis externis quasi dehiscentibus prorumpunt, atque spontè dilabuntur; ita prorsus etiam cum fœtu, suavissimo uteri fructu, comparatum est, ut petiolò suo alligatus maturescat, & cum debitæ perfectionis

apicem attigerit, membranis suis evolutus instar fructus decidat maturi, lucemque hanc ingrediatur mundanam.

Hic notanda quædam occurrunt, & quidem I. Fœtum undique membranis suis instar ovi involutum & conclusum contineri in maternô uterô, & sedere ibi quasi conglobatum, genibus ad abdomen adductis, cruribus retrorsum flexis, atque capite ad genua inclinatô, quod manus utraque compacta cum brachiis suis fulcit. Situm hunc naturalem ut plurimum reperiri, communis est eruditorum sententia, & plurimis experimentis confirmatus asserit experientissimus *Harveus Exercitat. de partu.* Idem situs summô cum delectamentô adstantium observatus nuper in nobili matrona ad sextum mensem gravida, pleuritide extincta & à nobiliss. Dn. D. *Præside* clam apertâ. Unde curiosiores hocce ponderantes non potuerunt non exclamare, eam esse illius speciem, quâ nulla fingi posset miserior, cum clamare fœtus videatur ad DEUM, sibi ut lucem concedat adspicere, auramque ducere vitalem. Hoc confirmat *Ambrosius Paræus oper. suorum libr. XIII. cap. 14. visum, referens*, sibi fœtum dissectâ matre, statim atque exspirasset, in longum exporrectum viventemque adhuc, facie in cælum conversâ, junctis velut ad supplicandum manibus. Vid. *Dannbaueri Catechismus milch part. 7. p. 62.*

Nono mense, decimoque, cum jam absolutus fœtus grandiorque factus, uberiori alimentô ac liberiori spiritu ad caloris sui ventilationem requirit, istis locorum angustiis se diutiùs includi minimè patitur, sed exitum intendit, unde

II. notandus situs, quem fœtus mutat capite deorsum declinatô versùs orificium matricis. Hunc cum observant obstetrices, vernaculâ nostrâ exprimunt, **das Kind stürzet sich**/vel **das Kind hat sich gewendet aus seinem Stülgen.** Tunc quasi urinari, imaque petere, ut *Harveus* loquitur, cruribus reliquisque artibus sursùm in sublime distendentibus observatur, interdum notabili ante partum temporis spatiô, qui apparatus atque convolutio ex unanimi eruditorum sententiâ κατὰ φύσιν s. naturalis habetur, unde miramur *Varronem*, *Aulo Gellio Noct. Attic. LXVI. cap. 16.* & *Rodigino* referen-

rentibus, *lect. antiq. lib. XV. cap. 22.* aliter sentientem, nempe
 semper ita situatos confixosque esse fœtus in utero, scilicet
non ut hominis natura est, sed ut arboris, quod tamen experien-
 tiæ & Anatomicorum testimoniis refragatur. Sanè longè
 verius *Aristoteles 7. Histor. Animal. cap. 8.* asserit: *Omnia anima-*
lia naturaliter in caput exeunt, obliqua verò vel in pedes contra
naturam. Cujus rei causam dixit *Hippocrates, libr. de Naturâ*
puer. quod puelli graviores sint partes superiores & umbilico
 appensæ, tanquam è staterâ quâdam, non quidem ut suffi-
 cientes sint per se ad invertendum fœtum, quod totò aliàs
 gestationis tempore fœtum in caput propendere oporteret,
 nisi in superinfantis matrisque motus accessisset, *vid. & Ari-*
stot. l. cit. c. 9. Avicenn. l. 3. can. fen 21. tr. 1. c. 1. Sic enim pro-
 vidit natura, Deo optimo maximo adjuvante, ut capite pri-
 mum infans prodiret, quò à magnis molestiis periculisque
 puerperas sublevaret; quæ vitari procul dubio non possent,
 si vitiò aliquò infans aliter, puta in ventrem, in latus, inque
 pedes exitum affectaret, inquit *Ludovic. Mercat. lib. IV. de pu-*
erp. affect. cap. 3. Quibus adde respirationem citiorem fœ-
 tus, cujus beneficio majoribus viribus ad egrediendum an-
 nititur, matrisque laboribus strenuè succurrit, ut & aliarum
 partium faciliorem insecutionem, ob remoras capitis mole-
 remotas. Interim non eundem semper ità situm tenere
 fœtum, nec, ut dictum est, eòdem modò se convolvere, atque
 indè durissimos, tardissimos & funestos sæpè concitare par-
 tus optimè notarunt *Hippocr. libr. de Morb. mulier. Ambros. Pa-*
rus, & Gvilielm. Harv. l. c. aliique ex quàm multis observa-
 tionibus, ità ut verissimè etiam scripserit modò nominatus
Cælius Rhodiginus cap. 15. l. c. cum pueruli quandoque præter
 rationem conversi, in pedes prodeant in lucem, diductis
 passisque brachiis matre inde oblæsâ insignitè, ejus peri-
 culi deprecandi gratia Carmentibus statuas duas surrectas
 esse Romæ, quarum alteri, *Postversa* nomen fuisset, alteri
Prosa, de recti perversique partus potestate & nomine, quæ
 eadem ferè tradidit etiam *Gellius,* addens, quorum in nascen-
 do non caput, sed pedes primi extitissent, Romanis *Agrippæ*
 appel-

appellatos fuisse, vocabulo ab ægritudine & pedibus desumpto. Plura vide apud *Joh. Rhodium, & Sennertum in Praxi.*

III. Tunc ergò temporis vel brevi antè, partim ob molestias in utero perceptas, & suprâ *capite quartò* enumeratas, partim etiâ ob rerum necessariorum defectum vehementius se movere incipit, & manibus pedibusque, ut *Hippocrates* loquitur, quasi calcitrando adnitens, placentam ab uteri acetabulis avellere, imò interdum etiâ membranas ipsum circumcingentes nō sine exquisitissimis ventris materni atque lumborū torsionibus, (quas vulgò **die Wehen** vocant) disrumperet solet, unde sanguinis & aquæ profluviū, tanquàm imminentis partus primū exoritur signum, quem quidem fluxum singulari naturæ providentiâ institui verissimè sentiunt Anatomici, nimirum, ut emolliatur uterus, & ejus orificium aperiat, atque partes vicinæ lubricentur & laxentur, quò magis ad distensionem aptæ fierent, juxtâ *Galen. l. 15. de usu part. c. 5.* Sic enim, inquit *Harvæus l. c.*, *sacri & pectinis ossium cum coxendice copula, quæ per συγχρόνως πωσιν fit, adeò tunc emollitur ac solvitur, ut dicta ossa facile exeunti fœtui cedant, & hiantia regionem totam hypogastricam ampliorem reddant.*

IV. Hæc dum fiunt, Matrix cum contento fœtu se ad ingvina demittere solet, non sine optato instantis partus indicio, dum tumor ventris, qui in regione hypogastricâ prius cernebatur, nunc prolapsus quasi in inguinibus eminent, & ab obstetricibus excipitur, Germanicè **die Frucht hat sich abgesetzt**/quamquàm hoc non sit perpetuum, sed in multis etiam toto gestationis tempore moles hæcce uterum atque abdomen deprimens ibi videatur, quin prorsus extrâ abdomen ex prolapsu uteri propendisse viderit *Harvæus*, uti legere est *Exerc. de partu p. 369. seq.*

V. Porrò notatu dignum, Fœtum jam capite matricis orificio insistentem, illud quasi perterebrando aperire, atque obstetricis digito se exponere, quod vocant: **Es stehet innen**; Tandem autem facultate uteri expultrice simul insurgente, fundumque contrahente, ac cervicem lubricatam dilatante, accedentibus simul visibus matris spiritu quàm validè

lidè

lidè cohibito & ipsum beneficio musculorum abdominis constrictorum quasi contrudentibus, perrumpere, & extris istis uteri carceribus profilire, capite quidem prius porrecto, facieque matris anum versùs versâ, dehinc membris capiti subjectis, suo ordine insequentibus, collò sc. brachiis, (& his quidem, monente *Aristot. l. 7. hist. animal. c. 10.* ad costas demissis,) thorace, ventre, pedibus, atque ultimò umbilicò, secundinis & placentæ adhuc connexo. Quod ipsum veluti admiratione valdè dignum, ità meritò divinam naturæ providentiam in eò agnoscere ac deprædicare cogimur, quæ sanè omnia sua opera, similiter ac reliquum totius corporis artificium admirabile instituit in finem, actionem atque usum, uti loquitur *Harveus l. c.* Qualis enim uteri est hæc apertio, inquit *Avicenn. l. 3. fen 2. tract. 1. cap. 2.* cujus similem efficere non valet in suo simili, & necessarium est, ut separantur quædam juncturæ & sustententur adjutorio Dei excelsi. Nam ut in prima conceptione, addit *Harveus*, uterus orificium nervosum constrictum habet retentionis gratiâ, ita postea in partu (tanquam fructus in arbore) ex duro ad maturitatem mollescit, in expulsionis commodum: idque non explicatione aliquâ, sed ab immutatâ temperie. Nam & ossium quoque commissuræ, *συνχόνδρωσις* nempe coxendicis cum osse sacro & pubis, & coccygis *συνεύρωσις* solvuntur, & emollescunt. Admirabile sanè est, exiguum pullulantis nuclei apicem, (amygdalorum puta, aut aliorum fructuum) ossa, quæ vix malleo rumpuntur, effringere; tenellasque radicis hederæ fibras in tenues saxorum rimulas irrepentes, prægrandes tandem muros discindere.

VI. Fœtus cum dictò modò nascitur, sæpissimè nudus prodit, interdum verò tunicatus, & vel utrâque, vel alterâ membranâ, *amniò*, adhuc vestitus. Qui partus fœtui felix deprædicatur, matri tamen durus vulgò habetur. Quò de ornatu mulierculæ superstitionis bonum omen concipere, vittatosque, die ein Kleidgen anhaben / intitulari solent.

Rariùs tamen hoc evenit, & plurimi à membranis liberi nudique prodeunt, quos tunc ipsæ membranæ unà cum

D

pla-

placentâ exterius chorio adnatâ vacuâ, ab umbilico tractâ, subsequuntur, & inde tunc Græcis *δευτερια*, Latinis verò *Secundinae*, & Germanis die Nachgeburt und Afterbürde, dici solent, quòd scilicet excludantur post ipsam fœtus exclusionem, nach der Geburt des Kindes. Distingvuntur hinc à partione ipsâ juxtâ *Linden. meletemat. medicin. Hippocr. l. 2. §. 154.* Harum constitutionem peculiari commentario elegantissimè nuper expositam vid. apud *Nicolaum Hobokenium.*

Atque hic est fœtus exeundi modus naturalis, quò consideratò, melius percipere licebit, quomodo ad illum tum ipsa conferat & cooperetur, tum & mater seu puerpera laboret.

CAPUT VI

differentias partus ostendit.

Rectum esse judicem & sui & obliqui, canon est philosophicus; unde cum hætenus modum, quò secundum naturam fœtus molitur exitum, perlustraverimus, perdifficile non erit, illum, qui præter naturam accidit, judicare atque cognoscere. Non unimodè semper fieri partitudinem, sed plurimis variare modis, quotidiana attestatur experientia. Nam ratione varietatis alius naturalis, alius verò non naturalis judicatur; *ille* quidem, qui ex legitimò naturæ institutò evenit, modòque illi conformi; *hic* verò, qui ab eò deflectit, sive id ex parte matris, sive fœtus, vel utriusque fiat, quoniam amborum operas ad partum maximè requiri supra memoravimus. Et quidem quod primùm *partes matris* attinet, intelligimus decentem dispositionem, & vigorem omnium ad partus opus quocunque etiam modò necessariarum partium. *In fœtu* verò præcipuè attendimus ejusdem 1. *Magnitudinem*, ac 2. *Figuram decentem*, 3. *Unitatem*, 4. *Maturitatem*, 5. *roborem atque vires*, ut & 6. *congruum in membranis suis situm*, ac 7. *ad fundum uteri jam instante partus tempore conversionem*, itemque 8. *Placentæ nec lenem nimis, nec adeò firmam cum utero coalit-*

coalitum. In quorum unô modô si defectus fuerit, intentioni non respondebit naturæ, & partus statim præternaturalis sæpeque tardus, difficilis, dolorosus vel funestus subsequetur. Atque adeò sic secundùm ea jàm denominata etiam dividi poterit, ut partus judicetur Nonnaturalis

I. *Ex parte Matris*, illâ scilicet vel non satis sana, vel vigore, partiumque dispositione ad partum debitâ non polente, vel etiam penitus mortuâ. Inde enim necessariò pariendi si non impossibilitas, tamen tarditas & difficultas, quin & fœtus & ipsius matris læsio consequitur. Causas fusiùs expositas vide apud clarissimum *Ætium* Lumen, *Sennertum in præct. medic. libr. 4. cap. 4.*

II. *Ex parte fœtus & specietenus*

I. *Ipsius magnitudinis*, tum excedentis, tum deficientis partus oritur non naturalis, tardus vel difficilis, dum fœtus ob exilitatem suâ membranas non dirumpere, & sic nec genitalia lubricare valet, sed suis tunicis involutus, nihil opis conferens, per siccas & angustas uteri vias ægrè dilabitur, ut explicat *Forestus observ. l. 28. de mulier. morb. observ. 70. & seq. & Arist. l. 7. histor. anim. c. 4.* Quis verò ex magnitudine fœtus excedente idem accidere posse negabit; præsertim si fœtus humeros habeat *Platonicos, breite Schultern?* Undè *Jodocam Teylingiam Foresti socrum*, quæ viginti proles ex marito suscepit, filias suas collocare noluisse viris humeros latos habentibus, quales maritus ejus habebat, legimus in *ipsius observat. cit.* ne illæ ex proventu similis fœtus periclitarentur.

Huc non incommodè referri possunt fœtus *magnitudine & numero partium quarundam excedentes*, cum primis capitis, humerorum, ventris, manuum vel pedum. Sic enim *bicipitem fœtum* difficillimum causare partum quis dubitabit? Causas si desideras, adi *Ætium tetrab. 4. serm. 4. c. 22. & Æginet. lib. 3. de re medicâ c. 76.* Exemplum singulare est, quod refert *Nicolaus Tulpius, Amstelodamensium Medicus & Consul clarissimus obs. med. l. 3. c. 37.* fœtus bicipitis cum tribus brachiis, totidemq; pedibus & quatuor manibus, ut quem cum paritura esset mater, enixa fuit primùm duos pedes, sed tertius præter omnem



naturæ legem, natibus innatus, injecit tantum moræ partioni, ut necesse habuerit præter obstetrices opem implorare chirurgicam, quò uncò ferreò extraheretur ex vulvâ renitens monstrum. Quò etiam pertinent alia, quorum partibus aliquid, ad ipsorum integritatem non faciens adnatum est. Item *Cornuti*, quorum exempla extant memorabilia apud *Paræum libr. 23. de monstris*, *Schenkium observ. med. libr. 1. Fab. Hildan. obs. chirurg. cent. 2. obs. 25.* *Fortun. Licet. lib. de monstr. c. 89.* & *Thom. Bartholinum observ. novar. de unicorn. c. 1. ut & Anat. reform. lib. 4. c. 4.*

Ad hanc classẽ spectant etiam *fætus bicorpores*, quorum exempla ante hos annos decem edita, vide apud *Job. Conradum Brunnerum disputatione Inaugural. de fætu monstroso ac bicipite Argentinae ante biennium enixo*, & apud Excellentissimum *Michaelem Heilandum, Prof. Publ. Giessensem celeberrimum disquisitione medicâ monstri Hassiaci edit. Anno M. DC. LXIV.*

His addi etiam potest historia monstri eòdem annò in Angliâ nati, quam *Fortunii Liceti commentario de Monstris* addidit *Gerhardus Blasius*, quod duplici, ut refert, præditum erat capite, brachiis quatuor, sed pedibus duobus. Capita sibi è directo erant obversa, sic ut unum caput pedum locum occuparet, capiti utrique subjectum corpus in omnibus benè se habebat, usque ad regionem umbilicalem, ubi coalitus utriusque. Lumbi, femora pedesque è latere illic loci, ubi duo illa corpora unita, prodibant; quo loco & discrimen sexus, muliebri pudendum, annotabatur.

Addimus & hisce *acephalos*, seu eos, qui capite prorsus carent, quales tum sibi, tum & aliis visos, refert itidem *Schenkius c. 1.* Ab his enim illud auxilium, quod à capite uteri orificium quasi perforante aliàs venit, cum expectari nequeat, quid aliud, quàm partus difficillimus vel planè nullus sperandus?

2. *Figura vitiata*, & præcipuè quidem capitis. Sic *Bononiæ mendicum*, cujus caput quadratum, sed paulò latius, quam longius fuerit, vixisse suo tempore, attestatur *Andr. Vesalius, libr. de human. corp. fabr. cap. 5.* Et deformitates alias capitis

pitis planè horrendas refert modò nominatus *Licetus l. c.* atque *Jacobus Rueff, Chirurg. Tigurin. de monstros. part. l. 4.*

3. *Unitatis excedentis*, puta, ubi duo vel plures adfunt foetus. Quum enim homo quidem sit ex genere τῶν ζῴων μονόβιων h. e. eorum animantium, quæ unicum ut plurimum solent concipere & parere foetum, duorum tamen, aut plurium, conceptio etiam observatur, quæ rarior, hinc pertinebit ad τὰ τετραῶδη, quæque fiunt παρὰ τὴν φύσιν teste *Aristotele IV. de generat. animal. cap 4.* Majoris autem laboris, difficultatis & periculi esse foetuum plurium, quàm unius enixionem, in confesso est, cum primis, ubi simul egredi intenderint, alterque alteri fuerit impedimento, uti evenisse legimus in partu *Esavi & Jacobi Genes. 25.* & exemplum quoque adducit *Forest. l. c. obs. 75.* Et cum accidat interdum, geminos capitibus, dorsis, ventribus, vel aliis partibus conjunctos, quos ideò simul exire necessarium est, augetur malum, & partus magis vitiosus atque præternaturalis evadit. Talia exempla suppeditant *Nicolaus Massa anatom. lib. introductorio c. 29.* & *Ambrosius Paræus lib. 24.* nec non suâmet ipsius observatione, *illustris*, etiam post pia fata, *Rolfincius diff. de corde c. 2.* Hic enim monstrosum partum sequioris sexus adnotavit, cujus cadaver dissectum in magnâ spectatorum frequentiam hinc Jenæ 1632. mense Martio: supernæ partes corporis omnes geminæ, duo capita, nasus conjunctus naso & os ori, quatuor brachia, thorax unus, duæ spinæ dorsii, duo sterna. Infimus venter ad umbilicum usq; unus & continuus, qui unum jecur, unum ventriculum continebat. Cor unum, sed δικόρυφον erat. Skeleton antehac museum Rolfincianum, jam ornat Bibliothecam Academicam.

4. *Maturitatis.* Immaturus enim atque imperfectus qui excluditur, ordinem & methodum naturæ transgreditur, & præternaturalis fit, non sine maximò sæpè periculò. Unde & vocari solet *Abortus* vel *Aborsus*, *Hippocrati Ἀμβλωσις* vel ἀποφθογά. Confer *Foëstum Oeconom. Hippocr. p. 25. & c.*

5. *Roboris & Virium.* Hæ si fractæ fuerint, vel labefactæ, parum adminiculi præbebunt; imò planè nihil, foetus cum exanimis fuerit, unde verè δυσοκία erit expectanda. Duo enim cum requirantur ad partum, quæ sibi invicem o-

peras mutuas præstent, nempe parturiens mater, & pariendus fœtus, nisi ambo ad hoc negotium parati fuerint, vix felix succedet partus, inquit optimè *Harv. Exerc. de part. & exemplis attestatur Forest. l. c. obs. 76.*

6. *Situs in membranis*, quem nimium variare supra diximus. Fœtus enim decenti modò non locatus, neque membranas commodè rumpere, neque se ad exitum convenienter accingere potest, undè partus periculosus conjiciendus.

7. *Conversionis ad uteri orificium*. Hæc in statu naturali supra declarata est; aliter tamen sese vertere experimur sæpius, ita, ut non capite, sed aliis partibus uteri premat orificium, & vel *ambos pedes*, (ut breviter *Fernelius* describit,) vel *alterum duntaxat*, vel *manum* primùm exferat, vel *duplicatus in nates*, vel *obliquus alterutrum latus*, vel *pronus ventrem* primùm exhibeat, quæ omnium figura pessima, atque sic partum præternaturalem vel difficilem inducat. Eleganter hanc partus difficultatem explicat *Hippocrates* per nucleum in olearium immisum, inquit: Quemadmodum si quis in ampullam oleariam angusti oris nucleum olivæ immiserit, non proclive est ipsum extrahere; sic etiam mulieri gravis est affectio, ubi fœtus fuerit obliquus. Grave item est, si in pedes inclinaverit, & sæpè aut matres pereunt aut pueri, aut ambo *lib. de mulier. morb.* Figuras varias fusius explicatas vide apud *Rhodium, Paræum, Sennertum l. c. & Moschionem Harmon. Gynacior. part. prior. c. XI.*

8. *Placentæ uterinæ cum utero connexionis vel lenioris, vel justo firmiter*. Istò enim in casu, uti facilius avellitur, ita vel abortui, vel fœtus expirationi ansam dare potest, vel partui etiam difficili, ut explicat *Forestus l. c. observ. 71. schol. 6.* Hoc verò retardat partum, multorumque malorum est progenies, sicuti compertum fuit, dum extrahere secundinas laboraverunt obstetrices, ipsum simul extraxisse uterum, teste *Harv. exerc.*

de partu.

CAPUT



CAPUT VII

signa diagnostica inquirat.

Visis nunc Partus causis atque differentiis, ad signa pergimus, ex quibus præsens jam vel instans ipse apprehenditur. Horum enim internotio, ὁρθῆς θεραπείας πηδάλιον ἐστίν, inquit *Trallianus lib. 9. c. 1. est rectæ curationis fundamentum*, & à primis artis medicæ conditoribus, qui ideò inter ejus partes etiam σημειωτικὴν retulerunt, satis illustratum. Ἐκαστος γὰρ κριτεῖ καλῶς, ἀγνώσκεις, καὶ τῶν ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής. Unusquisque enim de iis benè judicat, quæ cognoscit, horumque optimus est censor, inquit *Philosophus*.

Adducuntur autem ejusmodi signa varia à variis, eaque plura, quæ cum veritate ac eventu tamen convenire, semper non videntur, ideoque paucula proferemus, quæ certiora nobis jam visa, & olim ab *Hippocrate, Galeno, Aristotele, Avicennâ, & Aetio* fuere approbata. Inter quæ

I. est *motus infantis vehementior*. Ut enim quis parturitionis tempus ad amissim callere possit, motus & labores infantis in utero expendat satis prius oportet, suadet *Ludovicus Mercatus libr. 4. de puerper. affect. c. 1.* Nam hic molestiam suam, quam percipit ex inopiâ alimenti & impuritate, locivè, quò concluditur, angustia, indicat, claustraque illius perrumpere nititur, ut superius notatum.

II. *Gravidæ circa lumbos ac coxendicem dolor acutus*, isque notante *Trincavellio* tantus interdum, ut cor quoque excruciare soleat. Ubi optimè monet *Hippocrates lib. de naturâ pueri*, omnium gravissimè dolere *primiparas*, minus quæ partum antehac sunt expertæ, & adhuc minùs, quæ multoties peperere, quoniam nempe in his viæ, antehac sæpius dilatatæ, ampliores sunt, in illis autem angustiores.

III. *Partium inferiorum*, quæ circa pectinem sunt ac inguina, *distentio ac intumescencia*; *superiorum* verò *gracilitas, inanitio ac subsidentia*. Motu enim fœtus insolentiore, avellitur placenta ab utero, cumque membranis ac fœtu

fœtu descendit, & pigram ambulationem propter coxendicem gravatam inducit.

IV. *Genitalium tumor, dolor, & calor.* Fœtus enim dum descendit, loca illa tangit, moleque suâ distendit, atque sic solutione continui dolores exquisitos excitat.

V. *Eruptio aquarum vel simul etiam sanguinis ex utero:* causa est avulsio placentæ, & dilaceratio secundinarum.

VI. *Urinæ fecumque incontinentia.* Moles enim fœtus versus inferiora deflexa premit & vesicam & intestinum retum. In gravidâ verò dum muscoli abdominis intenti expellere nituntur onus sibi molestum, eadem vasa instigant. Unde creberrimè accidit, ut cogantur alvum deponere & urinam reddere parturientes. Quò factò fœtus sequitur eò feliciter.

VII. *Crebra frequensque parturientis respiratio,* ob fœtus gravitatem ac descensum. Sic enim (ut benè *Sebizi* explicat, *exercit. med. 51. problem. 7.*) trahitur quodammodo deorsum diaphragma liberæ respirationis organon, inque motu suo impeditur. Quò fit, ut natura impedimentum istud frequentiam respirationis compensare conetur.

VIII. *Orificii uteri interni relaxatio & apertio,* facta à capite fœtus ipsi insistente. Quam quidem si percipiant obstetrices, instare jam partum indicant, faustumque promittunt successum, ubi digito infantis caput tetigerunt, dicentes: *Der Kopff stehet an der Rosen.*

Hiscè signis etiam *Hippocrates* annectit *orificii ventriculi dolorem* seu *ναρδισιν* atque vomitum, ex turbatione totius corporis, & imprimis etiam ventriculi, per consensum subortum. Quibus alii *pedum* quoque *intumescientiam* adjiciunt, ut qui quasi varicosi fiant, ob molestam nonnihil sanguinis in hâc parte circulationem. Item *lac in mammis inturgescens* copiosius se exserens, & ad lenes appressiunculas sublaxans suos rivulos, ut & *fortem arteriarum circa tempora pulsationem.* Quæ tamen cum non sint in omnibus, aut perpetua, aut instantis *παρορνωμινικὰ*, siccò præterimus pede, & ad *απόρνωσιν* descendimus.

CAPUT

CAPUT VIII

signa eruit prognostica.

Θεραπεύειν αἰετα ἀν ποιεῖν, προειδώς τὰ ἐσόμενα ἐν τῶν παρῶν-
των; Curationem optimè facere eum, qui prænoverit futuras
affectiones, paræmia est divini Senis libro prænotionum §. 1.

Prædictiones certè admirabilem reddunt Medicum,
cum futura præmonendo Numinis fiat instar; pericula verò præ-
dicendo, ea idoneis remediis præcavere posse præsumatur;
incurabiles autem non attingendo suam servet autoritatem,
imò tùm morituros, tùm servandos prænosces ac prædicens à cul-
pâ exors fiat, ità sibi ipsi quoque consulere poterit, cùm, quos
superstities manere possibile sit, eos adhuc magis conservabit, ἐν πλεί-
ον ἄξιον προβλεπόμενον ἑκάστα, ex multo tempore antea con-
siliium adhibens ad singula, ut testatur Cous d. l. & Rolsinc. ὁ πᾶν
Ord. & Method. spec. comment. lib. 3. sect. 2. c. 1.

Non in vanum igitur & nos allaborabimus, si prognosin
parturientium, & quæ ex eâ in medendi methodo attendenda
veniant, brevibus quoque persequamur. Delitescit autem
hæc secundum Galenum triplici potissimum sub ordine,
quorum 1. salutem & mortem, 2. longitudinem & brevitatem, 3.
modum eventus metitur. Quod SALUTEM & MORTEM
attinet, & quidem ratione GENERIS, licet nulli dubium,
φυγὴν ἐπιπρόνυ πᾶδε καὶ κίνδυνον ὑπομνήσει arduum sanè & pe-
riculosæ plenum opus alex esse omnem parituram, tùm in se
& ratione sui, ubi ipsa natura fatiscere, & ex cardine quasi re-
velli videtur; tùm ob principaliorum partium, cordis nem-
pe, cerebri ventriculi que consensum; atque tandem symptoma-
tum gravissimorum ac dolorum causa, miseras istas supra o-
mnia cætera animantia ob divinæ maledictionis argumen-
tum, Genes. cap. III. vers. 16. infestantium, juxtà Johan. Elerum
Tractatu de partu & Harv. l. c.

Attamen præsuppositis imprimis facultatis expultricis
integritate, matrisque foetusque sanitate, videns Medicus

E

Matrem

Matrem hilarioris esse mētis, viribus valentem, partib⁹ genitalibus iisque vicinis nihil remorans partum inesse, sternutasse secundum *Hippocratem* 5. *aphor.* 35. nec languidiorem fieri in partu ; *Fœtum* verò in utero laudabilioris esse constitutionis, in motu non debilem, solitarium, nec quantitate naturali excedentem ; *Membranas* insuper non ante tempus rumpi, & quæ alia sunt, quorum in antecedentibus mentionem fecimus, non potest non exoptatum ominari successum, sermoneque adulabili solari afflictam, *Lucinam* fore, propitiam, *Nixiosque* Deos faciliores extituros.

Ex adversò verò deficientibus conditionibus vel omnibus, vel aliquibus ex parte matris vel fœtus, spem inde dubiam, partumque tardum, vel difficilem, aut planè luctuosum exoriri, nullus facilè contrariabitur.

SUBJECTI ratione seu *Matris*, si illa (1.) in viribus vitalibus ex morbò vel ætate minus constans fuerit, effectus inde planè nullus, vel non tam citò sequi potest. Cessante namq; causa cessat effectus. Indè si nisus nullos aut languidos ac intermittentes vergebene *Behen* / so nicht auf das Kind dringen / experiatur, qui non ad uterum, sed dorsum potiùs vergant, pro malò omine omninò habet *Aristot. histor. animal. libr. 7. c. 9.*

Deinde quantum ad *Juvenulas*, & has in partu magis laborare constat, & quæ *ætatis* sunt *provehentioris*, sicuti eventus satis lugubres subindè attestantur, adeò ut harum ætatum fœminæ partum futurum, quasi certissimam *duşonlav* cogitantes exhorrescant, animumque abjiciant. Cujus causam, utut antea in ficitatem & adstrictionem genitalium, cum *Galeno* aliisq; retulerimus, non absurdè tamen eandem defectui virium vitalium juxtà *Sennertum prax. med. libr. IV. part. 2. sect. 6. c. 4.* adscribendam esse putamus.

Huc etiam pertinent *obesa, macilenta, parva*, (quod quidem universaliter dixisse non est animus,) afflictæque morbis liberam respirationem & vitalem facultatem impredientibus quæ, nisi fœtus opera nisusque succurrerint, periculosos, duros, tardosque partus ut plurimum sustinere debent. De his succinctè *Avicenna libr. III. part. 21. tract. 2. c. 2. Forestus lib. XXVIII.*

XXVIII. de morb. mulier. obs. 30. & Harv. exerc. de partu. Id ipsum innuit Hippocrates 5. aph. 55. cum scribit: quacunque utero gerentes febribus corripiuntur, & nimium extenuantur, calefiuntque sine occasione manifesta, difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur; Quia nempe, ut bene ad Galeni mentem Sebizius explicat exercitat. med. 51. probl. 5. febres corpus siccant, & matrem atq; foetum vehementer debilitant.

Et cum virium debilitas atq; penuria imprimis sit in frigidis ac humidis mulieribus, hinc illis faciles atq; felices quoque partus promittere non possumus. Agit autem de talibus itemque signis παρὰ τὴν ἰσχυρίαν iterum Hippocrates libr. de superfatatione, p. m. 650. Quæ partui vicina, inquiens, cavos habet oculos, & facies intumescit, & ipsa, itemque pedes tumet, ut velut pituita alba apprehensa appareat, & habet aures albas, & summum nasum album, & labia livida, ea ipsa mortuos gestat, quos pariet, aut vivos pravè & non vitales & exsanguis, utpote morbosos, aut prius peperit non vitales. Huic, addit, sanguis in aquositate conversus est. E quò scilicet etiam id exurgit, ut velut ipsa debilioris naturæ, sic ob nutrimentum simul incongruum foetus infirmetur.

Hiscæ signis adnumerat Plinius libr. VII. c. 6. tanquam lethale signum oscitationem, in enixu subortam. Et vero maximè consentaneum est. Nam oscitatio secundum Hippocratem libr. de flatibus motus est, quò crassus ex visceribus conceptus & coacervatus vapor vi sursum erumpens, tanquam vectib⁹ adhibitis os diducit, ac emovet, unde signum præbet infallibile humorum in partibus turgescentium easque prementium, quorum expulsionem molitur.

Si vitium fuerit in matrice aliisve partibus ad partum conferentibus, ut ex quibus proximè parturientes dici mereantur. Qualis modi cum primis sunt, uteri intemperies, vulnus, ulcus, scirrhus, tumor, prolapsus, vel orificii ejus collive durities ac angustia; similiter indispositiones etiam partium adjacentium, quæ motus uteri non parum adjuvare, promovere, aut ab iis tangi solent, deductoque foetui cedere, transitumque

permittere, quales puta *musculorum abdominis, ossium pubis, coccygis, vesicæ, vel intestinorum*. His enim singulis vel ipsam uteri facultatem expultricem minui, vel in enitendo viis præclusis, viribusque ex dolore fractis & consumtis, impediri, plura contestantur exempla.

Ex *vesicæ calculis*, (qui unde cognoscēdi sint, aliundè constat) parturientes durissima quæque perpeffas fuisse observant *Hildanus cent. IV. obs. 51. & 52. & Nicol. Tulpius obs. lib. III. c. 6.*

Ex *rupturâ*, seu dilaceratione *uteri* facultatem ejus expultricem protinùs & omninò destitisse, atque omnes dolores & conatus cum vitâ fœtus atque fœtantis evanuisse, testis est *Hildanus* in honestâ quâdam matronâ Bernensi, *cent. IV. obs. 57. & cent. I. obs. 64.*

Ex *scirrhis uteri* non impedimenta modò, sed & maxima parturientibus pericula propullulasse, adnotavit iterum, ex multis *Hildanus cent. I. obs. 67. & 3. obs. 57. ac in resp. ad Döring. de hern. uterinâ*, ut & *Knoblochius apud Georg. Horstium*, in *epist. med.* qui refert, se in dissectâ gravidâ, observasse scirrhum ingentis magnitudinis à fundo uteri incipiente, & ad uterum deficiente, indeque fœminam illam non potuisse excludere fœtum, sed uterò perfractò in abdomen projecisse. Exempla similia fœtuum in abdomen prociduorum, ex variis autoribus collecta vide apud *Thomam Bartholinum dissertat. de insolitis partus humani viis, cap. 10. & seqq.*

Ex dimotione & *prolapsu uteri*, quippe quò infantis motus ac descensus ad uterinum orificium prorsus impeditur, partus imbecillitatem, vel impossibilitatem aut maximam difficultatem subortam fuisse exemplis probat *Sennertus institution. med. libr. II. part. I. c. 9.* Itemque *prax. med. libr. IV. part. I. sect. 2. cap. 16. & Döring. in epistolâ ad Hildan. de herniâ hujus observation. cent. III. annexa.*

Porro *pubis regionis sciccioris arctiorisque constrictionem*, ex minori præprimis magnitudine, firmiorique coalitu ossium illam constituentium, quæ suboritur, maximi quoque partus impedimenti fuisse indicium, frequentissima docuit experientia. Quam ipsam visu tactuque veluti percipere licet,

37.
licet, ita inde quoq; manifestū evadit, cum perruptō quidem
matricis orificiō, fœtus ulterius progredi non valeat. Opti-
mè hîc experientissimus *Harvæus exercit. de generat. animal. 58.*
proditurus infans, cum se vertit, caputque deorsum præci-
pitat, os uteri laxat, aperitque: descendens verò si ad coccy-
gis apicem impegit, hæret ægrèque prodit foràs, non sanè
finè sui ipsius fœtantisque discrimine. Et post aliqua inter-
jecta; Quantoperè coccyx partum remorare soleat, patet
in quadrupedibus, quibus cauda appenditur. Tales enim ne-
queunt vel fœtum excludere, vel ani excremēta emittere, ni-
si caudam sustulerint, quam si manu prehensam depresseris,
stercoris exitum prohibebis. Exemplū partus irriti, per qua-
triduum diris ac duris doloribus incassum laborantis, tan-
demque occumbentis, vide apud *Johannem Claudium de la*
Courve, paradox. de nutritione fœtus in utero part. III. cap. 12. in
pauperculâ nempe Varfaviensi, cujus ossa pubis, refert, ita fu-
isse constricta ac conjuncta, ut vix novaculâ potuerint di-
duci; diductis verò infantem extractum fuisse eō situ, quō
prodibat, omninò naturali. Qui idem & judicat, non aliam
quàm indissolubilem ossium connexionem, frustrati hujus
partus ac utriusque mortis extitisse causam; fuisse enim pu-
peram illam brevis admodum staturæ, seniculam, quadra-
gesimum octavum ætatis annum agentem, nec antea gessis-
se utero.

Similis farinæ est orificii uterini parvitas & adstrictio
non rarò se exhibens; tactuque exploranda, quâ de *Harvæus*
exerc. de generatione animalium 65. eleganter. In muliere, *in-*
quit, fores has arctè adeò interdum clausas novimus, ut
menstrua, lochia, aliique humores, ob denegatum iis exi-
tum, in utero retenti, symptomata hysterica sævissima exci-
taverint, ac propterea instrumenta ad hanc rem idonea ex-
cogitare opus fuerit, quò, apertō hōc uteri meatu, intus sta-
gnantia foràs profluerent, & prædicta accidentia dissiparen-
tur.

Hanc autem adstrictionem uteri, partiumque pubis, in-
fallibile difficilis extitisse partus præfagium in iis præcipuè,
E 3 quæ

quæ ætate fuere provectoris, quotidiana subministrant exempla, rationibus *Galen* *libr. de dissect. uter. c. 3.* suffulta. *In quibus enim*, inquit ille, *cervix vulvæ dura nimis ac cartilaginea existit, in illis sanè ideò distendi ac dilatari difficulter, nec sine insigni dolore poterit.* An autem universaliter verum, quod *Rodericus à Castro libr. IV. de mulier. morb. c. 6.* refert, talem extenuationem & siccitatem esse plerumque in illis, quæ annum ætatis quadragesimum excedunt, judicandum peritioribus linquimus.

Nec *Rimæ pudendi* hîc obliviscendum erit. Quanquàm enim rariùs hæc difficilem conciliare partum videatur, cum matricis modò claustris feliciter reclusis, loricam evadere, facilius sit; arctiorem tamen ejus clausuram, qualis in *primiparis & Atretis* seu *velatis* (ut *Merc.* ex *Nicol. Florentino* vocat,) præsertim assolet, aut coalitum ejusdem cum illius aurifabri *Parisiensis* uxore, cujus meminit *Hildanus cent. III. observat. 60.* quòd, inspectis muliebribus, collum matricis, mediante membranâ durâ atque callosâ, clausum fuerit reperiunt; hinc inde tamen parvis exiguisque foraminulis ad menses expurgandos perforatum, ita ut ex matricis aviditate & attractione spermatis in coitu, per exigua illa foraminula etiam concepisset; Vel etiam ejus concrecentiam, cum muliere illâ *Anglicanâ* apud *Harvaum* *libr. de partu*, partum retardare non nihil, vel dolorificum magis efficere posse, imò effecisse contestantur *Aëtius serm. 16. c. 91. Alfabar. pract. tract. 25. c. 19. Riolan. Anthropograph. lib. 2. c. 31. Job. Hucher. l. 2. de sterilit. c. de clausurâ cervicis pudend. Paul. Zacchias, qu. medico legal. l. III. tit. 1. quest. 7. Zacut. Lusit. prax. med. admir. lib. II. obs. 143.* & experientia quotidiana ferè confirmat.

Tandem *vitia musculorum abdominis* parturientes in laboribus sustinere, omninò hariolamur. Multum enim his benè constitutis partum promoveri, ipsis etiam mulierculis cognitum atq; perspectū satis est, cum cingulò quopiam ex coriò humanò vel cervinò, vel etiam viri collari, non sine superstitione, ventrem illaqueare solent, ad fortiores in partu

partu labores exequendos. Videatur *Rolsincius dissertation. anatom. meth. synthet. l. III. cap. 35. pag. 584.*

Deinde OBJECTI ratione, FOETUS, ex defectu quoque necessariarum quarundam supra adductarum conditionum infelicem succedere prognosin, quivis facile consentiet. Memoratum siquidem est antea, exitum, vel expulsionem sui promovere foetum, quando corpore inverso, atque capite orificium versus reclinato, motu suo insolentiori matris facultatem expultricem stimulat atque irritat; Ex contrariis vero huic statui, partum inde nullum, aut periculosum, tardum vel difficilem, aut dolorosum sequi, facilis est conclusio. Sic enim

I. *Motus foetus ratione*; cum nullus sentiatur, foetum, vel debilem, vel immaturum, imò mortuum esse, conjicitur. Quod pluribus etiam aliis signis ad majorem evidentiam ex Hippocrate, caeterisque medicinae proceribus comprobatum, deprehendimus. Sic enim ille *libr. de superfœtat. p. m. 649.* Quum puer immortuus fuerit, tum aliis signis conjectare id licet, tum jubere, ut aliquando in dextro latere jaceat, aliquando in sinistrum transmutet. Translabitur enim in utero puer eò, quò mulier se vertit, velut lapis, aut aliud quiddam, si mortuus fuerit, & peretinem frigidum mulier habet. Si verò vivat, & peretinem calidus est, & venter totus translabitur unà cum reliquo corpore extensus, & in ipso nihil translabitur absque reliquo corpore. Et porro: Si cui ex partu laboranti fluxus multus sanguinolentus citra dolorem ante puerum prodeat, periculum est, puerum mortuum exsolvendum esse, & non vitalem processurum. Et in antecedentibus *p. m. 648.* ubi putridi signa foetus commemorat: Si cui puer in utero immariatur, & non egreditur tumido utero existente, & cum jam non habeat amplius humiditatem, sed siccatus fuerit uterus, primum quidem intumescit puer, deinde colliquescunt ac putrescunt carnes, forasque effluunt; postremum autem ossa procedunt, & fluxus aliquando corripit, si non prius moriatur. Vide exempla apud *Harvaum Exerc. de partu.*

Quibus signis *Dn. Balthasar Timæus von Guldensee lib. 4. cas. med. obs. 26. ad mentem Hippocratis lib. 1. de morb. mulier.*

p. m.



p. m. 445. superaddit *mammæ* gracilitatem atque subitam extenuationem, *ventrisque* subsidentiam, confirmatque suo iudicio, nullum hujus rei certius esse indicium, quàm si motus, quem prægnans antea sentit, amplius non percipiatur, *mammæque* prius turgidæ flaccescant, & venter subsideat, neque ut *Hippocrates c. l.* vult, lac appareat. Nam, cum, adnotante *Sebizio*, natura *mammæ* veluti *ταπειν* aliquod seu promtuarium condiderit, ut editus fœtus habeat, quò nutriatur; deficiente nunc causâ finali, meritò cessat quoque actio. Confer *Hippocratem 5. aph. 37. & 38. & l. I. de morb. mulier.* ubi hæc leguntur: *Si fœtus jam bimestris corrumpitur, aut suffocatur, tunc & venter imus intumescit, & ad contactum dolet, velut ulcere presente, & febris magna ipsâ ac dentiû fremitus corripit, & dolor acutus & vehemens pudenda, & imum ventrem, & lumbos & laterum mollitudinem, & coxas.* Reliqua potiora signa fœtus mortui vel debilis singulari studio collegerunt & ex suis causis enodarunt *Paræus Lib. XXIII. c. 25. Mercatus Lib. IV. de puerperar. affect. cap. 5. Sebizius exerc. med. LI. probl. 9. & 10.* atque denique *Aëtius tetrab. IV. sermon. 4. cap. 23.* qui insimul signa matris unâ moritura annectit, inquiens: *Quæ lethaliter affectæ sunt, præterquam quod lethargico sopore premuntur, & resolutæ sunt, ac difficulter revocari possunt, & ad maximas inclamationes revocata, debilitè respondentès rursùs deferuntur in soporem, tremulæ insuper sunt, item nec alimenta capiunt, ac protinùs, si quid ingerunt, evomunt, aut forsàn deglutire nequeunt ob instrumenta convulsa. Præterea syncope non rarò corripuntur. Quædam etiã per convulsionem contrahuntur, aut nervis tremulæ fiunt, & pulsus fortiter tumidus: verùm obscurus ac debilis apprehenditur. At verò quæ evasuræ sunt, nihil tale patiuntur.*

II. *Gravidæ* menstrua non pati, sed redundantem potius sanguinem ad alimoniam fœtus destinari, inter omnes in confesso est. *Profluentibus* ergò illis, & quidem copiosè, itidem partus infelicis debilisque fœtus prognosticon esse confirmavit *Cous 5. aph. 61. & libr. I. de morb. mulier. p. m. 445.* Si enim mulieri utero gerenti purgationes procedant, impossibile est, fœtum esse sanum. Ob quam causam etiã venæsectionem

nem



41.

nem universaliter improbasse in gravidis 5. aph. 31. videtur; quod cum limitatione tamen intelligendum esse recentiores optimè innuerunt. Videatur Zacutus Lusitanus libr. III. de princ. medic. histor. 13. quest. 1. & seqq. Amatus Lusitanus cent. 5. curat. 27. Horat. Auger. de rat. curand. per sang. miss. l. 6. Joh. Baptist. Sylvat. contr. 83. Sennert. institut. l. 5. part. 2. sect. 1. cap. 17. aliique.

Idem sentiendum de copiosiori lactis è mammillis effluxu, qui foetum debilem & ob infirmitatem parum sanguinis attrahentem indicat, juxta Galen. in comment. 5. aph. 52. & Avicenn. lib. III. can. sen 21. tract. 1. cap. 19.

III. Sicuti verò motus foetus imminutus aut abolitus malum ominatur parturientibus; ita motus itidem auctus ac impetuosus haud secundi partus est indicium, quippè quò doloribus non modò defatigantur molestissimis, sed interdum etiam ipse uterus vel vasa quaedam perumpuntur ac dilacerantur. Cujus rei exemplum exhibet Hildanus cent. III. obs. 57. in matronâ quadam piâ ac honestâ, quæ ex improvisò tam acerbos sensit dolores, motumque foetus vehementem ac impetuosum, ut vix unquam similes visos adstantes retulerint: quapropter viribus protinùs mirum in modum prostratis, & lipothymiis atque horroribus correpta, tandem naturæ satisfacere coacta fuit. Apertò ventre, vacuum serosò sanguine, ob nonnullas venas in ipso parenchymate hepatis, & circa os sacrum ruptas repletum invenerunt. Vide & disrupti uteri exempla apud eundem cent. I. obs. 67. & cent. IV. obs. 57.

IV. Motum quoque aut ipsius foetus nisum haud obscure remorari sæpiùs ejusdem situm præternaturalem, vel quarundam partium & cum primis capitis vel artuum magnitudinem figuramque indecentem vel & numerum redundantem, atque sic matrique foetuique periculosum indigitare partum, supra cap. 6. exemplis quibusdam dilucidavimus. Et sanè quo ad primum, situs iste notus fit ex contactu ventris puerperæ, aut ipsius foetus, per digitum uteri orificio immisum, minusque is periculi minatur, si in pedes ac præcipuè utrumque exitum intendit, quippè quò ad partum naturalem propius accedit.

Secundum difficilius quidem cognitu est, attamen sapi-
 us experimur, subsistere foetus partibus suis magnum in o-
 rificiō vel collō uterinō, distensionemque ingentem & mole-
 stam creare, undē tardior atque difficilior partus fieri solet,
 licet mater & foetus viribus adhuc polleant, deque situ natu-
 rali nullum dubium sit. Hūc spectans exemplum exhibet
 prālaudatus **von Guldenslee** / *libr. 4. cas. med. obs. 25.* Qui-
 bus modis & *tertium* quadantenus cognosci indeque pro-
 gnosticum eventus minūs securi institui potest.

Accidit tamen interdum, ut *foetus uno plures fundantur*,
 quorum partus ut plurimum & durior & tardior, itemque pe-
 riculosior esse solet, undē signa atque prāfagia hīc valdē
 sunt dubia. Placent nobis, quæ *Sennertus l. IV. part. 2. sect. 4.
 cap. 6.* memorat, nempe: *cas ventris molem non ita equalem ha-
 bere, sed eminentiis quibusdam & rugis ac sulcis divisam, majus e-
 tiam pondus ferē sentire, quā quæ unum foetus gestent, & quidem
 inaequale pro hujus vel illius inaequali magnitudine; cum rarō plu-
 res foetus ejusdem roboris & magnitudinis sint; motum tandem,
 qui sit in utero, non esse unicum, sed sepē in duobus locis percipi, nec
 etiam uniformem.*

Augetur verō periculum & difficultas, ubi foetus vel to-
 tis corporibus, vel fronte, aut aliis partibus cohæserint, vel
 saltim fuerint impliciti. De quibus suprà prolixè ex *Hildano,
 Liceto, Bartholino* aliisque actum, qui & signa simul, quæ præ-
 cipuè sunt graviora symptomata, ex quibus ejusmodi foetus
 partusque conjicere liceat, indigitarunt.

V. Sequitur nunc *aquarum eruptio*, quæ ut plurimum
 præcedere solet partum & instantis dare symbolum. Quod
 si hæ statim ante partum exturbatæ locis fœmineis, colore
 vel odore naturales fuerint, bonum; malum verō, si impu-
 ræ, lividæ, nigricantes ac fœtentes, imò longè ante partum
 fluxerint. Cujus testimonium perhibebunt omnes obste-
 trices, & insuper videri potest *Forestus libr. XXVIII. de morb.
 mulier.*

Eadem sententia ferenda quoque erit de *involucris* vel
secundis ante partum prodeuntibus, vel à nixu reluctantibus,
 atte-

43.

attestante Medicorum Apolline Hippocrate in *Coacis prænot.*
p. 574. inquit: *In muliebribus purgamentis, quæ ante tempus*
aquosa prodeunt, malum denunciant. Item: *si cui fœtus in ute-*
ro involucrium exierit, prius, quàm fœtus prodeat, ea difficilem ha-
bet partum. Et *libr. 1. de morb. mulier. p. 462.* Si mulieri *secun-*
da relicta fuerit, si non ampli fuerint uteri, purgatio ipsa minus,
quàm oportet, procedit, & venter durus sit, ac magnus, & febris a-
cuta, & dolor per totum corpus, & ventris maximam partem eam,
quæ est infra umbilicum, & gravitas sit in uteris, & tormen velut
fœtus insit, & curata, secundam brevi, ejicit putrefactam, & sanæ
evadit.

VI. Tandem & id non rarò edocuit experientia, eni-
xionem fœtus expectantes mulieres, non fœtum, sed *molam,*
feras, aut copiam aquarum vel flatuum excrevisse. Exempla ali-
qua ut apponamus, cum primis memorabile est, quod *refert*
Zacutus Lusitan. prax. med. admirab. lib. II. obs. 155. de muliere,
quæ quater jam pepererat, & post suppressa menstrua quin-
tum fœtum putabat in utero habere, cum verò nonò mense
ad pariendum se accingit, pro expectatò fœtu *globulum seu*
sphæram excernit *albam, mucore respersam, caput humanum ma-*
gnitudine suâ superantem. Cultrò sphæra dissecta in præsentia
eruditorum, solida tota intus apparuit, cepæ instar mem-
branulis crassis & albis *fabrefacta, quibus sectis nullus ichor,*
humor, ferofave substantia emanavit.

Sic & *Jacob de Partibus ad lib. III. Avicenn. fen 21. tract. 3.*
cap. 25. refert: Fœminam quandam generosam se gravidam
putasse, itemque statuisse medicos & obstetrices. Sed cum
tempus pariendi advenisse putaretur, *multam aquam è matrice*
ejus prodiisse, atque ita ventrem detumuisse.

Cum *flatibus* quoque sic contigisse, iterum *Zacutus Lusit.*
ibid. obs. 150. confirmat in nonimestri, quæ dolore partus vexa-
ta, convocatis obstetricibus pariendi tempus expectabat.
At cum vehementi nixu cogitur expellere fœtum, *bombum*
& *strepitum* magnâ cum violentiâ per uterum elidit, ac si
tonitruum exaudiretur, qui cum diris doloribus binis vici-
bus reiteratus est, donec tandem carminantibus adjuta eva-



fit. Post unum autem & duos annos iterum in idem infortunium incidit. Simile exemplum proponit *Jason à Præ-
tis libro de pariente & partu*, quod *Campanus de Acciella* non in-
venuto carmine lusit :

*Venter cum tumuisset Acciellæ
septem mensibus & novem diebus,
cepissetque lien parum dolere,
acciri jubet illicò obstetricem,
quæri fasciolas, & apparari
sperato puerum editura partu:
mox inter mediâs manus ministræ
laxò poplite, cruribus levatis,
Lucinam geminans quater pepedit.*

Confer exempla aliâ à *Sennerto prax. med. lib. IV. part. 2. sect.
4. c. 9. & part. 1. sect. 2. cap. 10. 11. & 12.* ex probatissimis quibusve
scriptoribus adnotata, ut & *Petr. Salium tract. de Mola.* Item
de variis bestiis excretis *Zac. Lusit. l. c. obs. 149. Job. Remmelin.
L. II. Catoptri Microcosm. in fin. Schenk. L. IV. observ. 4. de molis,
Laz. River. in centuriis suis*, aliosque Præcticos peritissimos.

Liceat nobis hinc addere historiam memoratu dignif-
simam de Matronâ quadam nomine & genere clarissima,
quæ ex symptomatibus, qualia cum gravidis eadem perpeffa
est, à medicis quibusdam & omnibus obstetricibus agna-
tisque suis gravida habita fuit, eâ spe fore, ut post elapsum
nonum mensem læta filioli fiat mater. Hòc elapsò, tormina
sentiuntur in lumbis & circa umbilicum, parturientibus qua-
lia accidere solent. Obstetrix vocatur, omnes agnatæ adstan-
tesque expectant felicem nisûs horam & filiolum. Maritus
Pastorem vocare jubet, ut filiolum, forte àn debilem futurum,
illicò baptismali lavacrò imbuat. Omnia etiâ ad manus erant
lintheamina, omnia ad necessitatem disposita, omnis omnium
apparatus. Quid fit? licet spes optima affulserit, illa tamen
post unius & alterius horæ spatium evanuit tota; siquidem
in hunc usque diem nondum gravida fuit, neque peperit.
Brevi post *nobiliss. Dn. D. Præses* in consilium vocatus exhibu-
it specificum, ut certior fieret de foetus præsentia, cum sym-
ptoma-

ptomatibus, illis non adeò fideret. Alterò die tumor ventris, & reliqua symptomata ex parte remisere.

Hinc aliis propinatis brevi post tormina ventris recrudescunt, quibus natura conatur per alvum ejicere, sibi quod molestias creavit. Et ecce! folliculi plurimi (per intervalla aliquot dierum) membranâ obducti simul ejeti, qui ad aërem expositi dissilierunt; disrupti verò vermiculorum, (quales in caseis,) innumeram quantitatem continuerunt. Undè certò liquet, multa millia vermiculorum exclusisse locò infantis hanc claram mulierem, quæ jam quidem salva vivit, sed adhuc sterilis.

Ex talibus ergò & antea nominatis signis fraudulentia nonnunquam, non semper tuta fides conjicienda; imò periculum ipsius tetantis desumendum erit.

Signa, utut aliàs & maximè sint fallacia, illusoria & ambigua; proponuntur tamen ab *Hippocr. libr. I. de morb. mulier. p. m. 484. & de sterilit. p. 636. à Zacuto Lusit. libr. III. de med. princip. histor. 15.* hisce verbis: *Adest tumor circa uteri partes, corporis gracilitas, partium superjacentium contractio, prostratio appetitus, coloris vitium, menstruorum suppressio, mamillarum tumor, subversio stomachi, lumborum gravitas. Hæc primis mensibus conceptus suspicionem ex se præbent: Verum temporis progressu distinguuntur; nam molam comitatur punctio dolor, deest motus ille, qui in uteri conceptu percipitur, & cum manibus comprimitur, movetur, & cum mulier de latere in latus vertitur, pondus illud etiam movetur. Breviter, adest ventris gravitas, quasi quid incumbere videatur, atq; eminentia in omnem dimensionem æqualis, ut & immobilitas, lactisq; defectus. Nihil enim, inquit Hippocrates, movetur, neque lac in mammis generatur; mamma autem turgida sunt, quod magnum signum. Et, licet quendam habeat motum, tremulus tamen saltem est, & palpitans, constrictionis saltem & dilatationis, ut in spongiis & zoophytis; non verò in omnem situs differentiam, quod in verò fœtu accidit, addit Sennertus lib. IV. prax. med. cap. de mola.*

Hydrops uteri præter nominata quædam adhuc singula-

F 3

ria,

ria habet, nempe *mammarum solidarum mollitiem*, & *humoris interdum sangvinolenti menstrua emulantis*, inordinatum tamē *effluxum*; sicut alter ex *inflatione* ortus, *dolorem vagum*, *rugitus ventris*, & interdum *flatus ex utero erumpentes* exhibet, *sonumque ventris ad pulsationem digitorum* instar tympani, & quæ hisce sunt similia. Videatur *Antonius Guainerus comm. de egritudine. matric. cap. 32. de molâ*, & qui horum signorum causas doctè proposuit *Valleriola lib. 1. obs. 1.*

Ex quibus omnibus liquet, quæ moræ, quæque difficultates vel pericula partum sæpè comitentur, & ut prudens *ipsius* filius speranda vel timenda colligere ac fœtanti præfagire valeat.

LONGITUDO & BREVITAS cum consideratur partus, *Hippocratem* iterum deprehendimus, eam ipsam declarantem, dum morbis acutis quodammodo accomodat, *libr. de septimestri partu*, dicens: mulieribus conceptus & abortiones & partus eodem modo judicari, quo & morbi, fanitas & mors cunctis. Sic ultra quintum vel sextum diem se non extendet, aliàs vel matri, vel fœtui, vel utrique lethaliatatem inferet, præsertim, cum convulsiones, syncopæ, sudores frigidi &c. supervenerint.

Avicenna vix fieri posse existimat, ut mater & fœtus ferretur, si mulier quatuor dies laboreat.

Notum tamen *nobis* est, quod mulier quædam *Vinariæ* ad nonum diem laboraverit in partu; tandem verò excluserit fœtum mortuum salvâ adhuc matre, quæ plurimum nunc liberorum facta mater læta.

MODUM EVENTUS delineat quotidiana experientia, eundemque comprobat

I. Per *omnipotentiam divinam*, quæ hęc in passu semper admiranda, & eò magis, cum desperata indicia adfuerint. Injucundus quidem hic adspectus & triste intuenti spectaculum; attamen *εν ἀδυναμίᾳ τελευτήται* per infirmitatem perficitur sæpè, & exoptatos adipiscitur eventus. Tale adnotavit *Forestus librò XXVIII. observat. 73.* in textoris cujusdam uxore, quæ cum octo diebus in difficili partu valdè ange-

retur,

retur, tandem Dei nutu peperit filiam, & salva mansit; quod idem accidit cum aliâ. Alia exempla etiam *Burgois libr. obstetr. obs. 14. & 15.* refert, cujusdam nempe mulieris per novem dies parturientis, & alterius, in quâ duobus ante partum mensibus fœtus brachium propendit; attamen eventum, huncce nemo medicorum fortè ausus fuisset prædicere. Confer *Primerosium de morbis mulierum libr. 4.*

2. per naturam ipsam, cui ferè soli opus hoc committendum, licet *πόννοι ἀπάντων καρτεροί, φωνὴ δ' ἀπάντων κλαυθμώδης* dolores adsint atroces & vox omnium flebilis; attamen hæc omnem locat operam, ut perficiat, quod adgressa est, præsertim si omnia naturaliter sese habeant.

3. Tandem & ars delineat modum, quò naturæ succurrere possumus & debemus. Hæc naturæ est ministra, sicuti medicus ejusdem minister est. Juvat naturam, dum chorii vel amnii densitatem unguibus corrigit, aperit, locellorumque siccitatem humectantibus & emollientibus emendat, fixumque fœtus vitiosum ad naturalem deducit; imò demortuum planè extrahit.

His denique adjungenda, quæ post partum puerperis atque fœtibus contingere solent. Ex difficili enim partu sæpè infirmitates utriusque natae sunt, à quibus postmodum per totam vitæ periodum vel non, vel ægerrimè liberari potuerunt. Præprimis verò *gibbositates, capitis figuras vitiatas, divaricationes, indipisci embryones*, easque incurabiles, loquitur omnis dies, quarum causæ unicuique facile patefcent, qui partus rationem noverit. Vide *Heer. Eyssonium tractatu de ossibus infantum.*

Parturientibus autem ex enixu subvenisse hydatides memorat Salmuth. cent. 1. obs. 38. dolorem ischiadicum Ballon. epid. p. 272. diabetem ex dilaceratione vesicæ Heer. ab Heer obs. 4. Gangrenam Tulpius libr. 4. obs. c. 38. Claudicationem, Rruptionem intestini recti, id. ibid. c. 40. Visus hebetudinem Avenzoar; Pleuræ, item Vasorum rupturam, Helmont. catarrhi deliram. p. m. 356. lit. T. Abscessum maxillæ, Forest. libr. XXVIII. obs. 75. Tumorem hypochondriorum, difficultatem respirandi, dolorem ingentem à coxis ad humerum

humerum sinistrum Ballon. epid. p. 26. & quæ sunt alia satis calamitosa mala, quorum numerum hernia, struma, seu bociæ, ventris tumores, cephalæa replent.

CAPUT IX

indicationum fores aperit.

Spectatæ veritatis est notissima illa regula *Hippocratis, libr. 1. c. 2. εὐχρημοσύνης. Πολλὰ εἰδὲ συλλογισμῶν, ἀλλὰ βοηθεῖν δεῖται τῶν πραγμάτων, plerāq; non ratiocinatione, sed auxilio indigent. Non enim, juxta Senecam, agri eloquentem, sed sanantem desiderant Medicum.*

Eapropter sine ulteriori prolixitate *methodum medendi vel tractandi Parturas*, tanquàm primarium artis medicæ scopum, adgrediemur.

Nititur autem hæcce *tribus* potissimùm *Indicationibus*, seu statuis quasi mercurialibus, quibus gratiosum ægrotantibus auxilium, secundum *Galenum 3. M. M. 1. citò, tutò, atque jucundè*, beneficio præsidiorum, ex triplici *ὑγιείας* fonte promanantium, confertur, & vocantur: *Θεραπευτικὴ, Curatoria*, res p. n. seu morbos & symptomata respiciens; *Προφυλακτικὴ, Præservatoria* morborum causas earumque amolitionem attendens; *Ὡλισκία, Vitalis*, res naturales, ut sunt virium robur & præstantia, accuratissimè perponderans, conservans ac restaurans.

CURATORIAM quod attinet, illa contrariis aggreditur, morbosque antea nominatos similesque tum ex parte matris, tum & fœtus abigendos esse indicat, atque partum, prout fieri potest, sine gravioribus doloribus, lipothymiis, aliisque symptomatibus accelerandum jubet: quod ut consequatur, facultatem expultricem stimulat, vias dilatat, nisibusque matris & fœtus opitulatur. Sic & pro ratione circumstantiarum in antecedentibus enarratarum, dolores aut inflammationes sedat, in ossium angustia, uteri dilaceratione,

ne, aut matre mortuâ, vel magno & monstrofo fœtu, sectionem administrat Cæsaream, fœtum debilem confortat, dislocatum corrigit, vel planè mortuum educit, & quæ sunt hujus generis alia.

PRÆSERVATORIA causis morborum horum & symptomatum medendum, iisque obicem ponendum esse judicat, ità, ut excedens quantitas imminuatur, motus interceptiatur, vel & qualitates & humores quoquò modò peccantes alterentur, & in statu naturali penitus detineantur, cujus ope

Zωσμήν ἐν δειξίς, VITALIS indicatio robur atque vires corporis quàm sedulò servandas esse monet, & roborantibus juvandas, cùm maxima illarum dignitas sit, quamdiu vivere ipsum nobis ex harum custodiâ constet, nec sanos esse citra vitam liceat, secundum Galenum 9. meth. med. c. 13.

Horum executio ex uberrimis istis fontibus: *chirurgico, pharmaceutico & dietetico* depromitur, quos nunc ordine quoque perlustrandi, & ante partum, in partu, & post partum felicissima quæque ex iisdem hauriendi animi est sententia nostri.

CAPUT X

tractationem ante partum trahit.

Hominem in pluribus suis modis assimilari dispositionibus Lunæ, elegantèr inquit *Eluchasem Elimithar Medicus de Baldath in Tacuinis sanitatis* sub init. *Quia sicut Luna dispositiones habet, quibus destruitur sua natura apud nos, utpotè per eclipsin, & quibus completur, atq; immutatur, & c. sic accidit etiam corpori. Quædam enim ipsum corrumpunt, ut venenum; quædam regunt, sicut cibus; quædam incipiunt corrumpere, & finaliter juvant, sicut medicina; & alia incipiunt juvare, & postmodum corrumpunt, sicut medicina, quæ est cibus. Propterea necessarium est, scire juvamenta rerum ad operandum, & nocumenta ad præcavendum.*

G

Hujus

Hujus moniti & nos memores, omnia secundum ordinem recensimus, & succinctè perlustrabimus.

Traçtatio ante partum legitimam præservationem & morborum symptomatumque per causas irreptantium abolitionem requirit, præsidiaq; sua è fonte chirurgicò primùm depromit.

FONS CHIRURGICUS, fons sanè HEROICUS est, generosissima suppeditans auxilia, cum inscriptione: NON MEDICUS, NISI CHIRURGUS. Ex hoc producimus VENAE SECTIONEM tanquam tutum, utile & necessarium, pro ratione indicationis, tam mediis, quàm ultimis quoque mensibus auxilium.

Etsi enim oraculo Hippocratis 5. aph. 30. repugnante quasi lege sancitum, quòd utero gerentibus sanguis non mittendus sit, cum ἐκτιτρώσκων abortiant, & magis, ἐν μείζον ἐν τὸ ἐμβρυον, si sit fœtus grandior, cui per venam sectam subtrahatur alimentum, quò denegatò, debilitetur, & ante tempus expellatur; de largâ tamen illi ævo consueta sanguinis missione, vel in partibus inferioribus instituta, nec si urgens postulaverit affectus, vel sufficiens adfuerit indicatio, legem istam intelligendam esse optimè Horat. Augenius l. 6. de miss. sang. Job. Baptist. Sylvaticus controuv. 83. P. Salius Diversus de affect. partic. cap. 22. ut & Job. Francisc. Arquatus in medico reform. p. 1. abus. 12. Zacut. Lusit. l. 3. de med. princ. hist. 13. quest. 26. & 27. aliique explicaverunt.

Id ipsum etiam Hippocrates innuisse videtur, dum libr. 2. epid. sect. 2. in med. Lyciam utero gerentem propè partum lienis inflammatione laborantem venâ sectâ curare est conatus.

Imò libr. 1. de morb. mul. pag. m. 495. eandem præcipit: si prægnans, inquiens, multo tempore cohibeatur, & parere non possit, sed pluribus diebus ex partus doloribus laboret: sit autem juvenis, in vigore, & multo sanguine referta: venas in malleolis secare oportet, & virium ratione habitâ, sanguinem detrahere. Quamvis hoc ad curationem magis, quàm ad præservationem proposuisse videatur.

Interim cum ingens interdum adsit plenitudo, quæ non rarò suffocationis fœtus & abortus causa existit, juxta Avicen.

l. 3. fen 21. tract. 2. cap. 8. melius vel promptius sanguinis vacuatione non videmus, cum alia remedia multo periculofius adhibeantur, ut patet de balneo, exercitatione, frictione, inedia, & purgatione, quæ licet totum corpus possint evacuare ex Galen. 4. aph. 2. tamen non ita celeriter, tuto atq; securè ut æstimat Avenrhoes libr. VII. colliget. cap. 4. Proinde optimè Zacutus Lusit. l. c. quæst. 26. inquit: Multæ fœminæ in gignendo sanguine adeo feraces sunt naturâ, ætate, aut vivendi modò, ut, nisi sanguinè apertò vase per intervalla exhaurias, patiantur abortum. Hanc methodum longò annorum decursu in quæstuosâ medicinâ sapissimè observavi in juvenculis, quadratis, succulentis, carnofis, & quib⁹ turgebant venæ, calidò sanguine plenæ, benè educatis, rubrò colore suffusis, assuetis sanguinem excernere per nares. Has multoties ob sanguinis nimiam copiam fœtum suffocantem, fecisse abortum in primis & mediis mensibus, frequentissimè sum expertus, quæ postea extractò sanguine felicissimè sunt præservatæ. Alias prius missò sanguine ab abortu præcavit natura, expulsò per uterum & nares cruore multò, quem illa, phlebotomiæ beneficiò levata, tanquàm residuum & inutile foràs eduxit. Confer præter allegatos Celsum libr. 2. de re medic. c. 9. Gregor. Horst. cent. probl. de gæm. decad. 9. de morb. mulier. quæst. 8. & libr. 5. obs. 48. 49. Forest. l. 28. de morb. mulier. obs. 66. (qui V. S. ultimis quoque mensibus feliciter institutam exemplis variis comprobant) & quos Zacutus longâ serie locò allegatò annotavit.

Quæ autem venæ præ aliis sint aperiendæ, & quantum sanguinis detrahendum? Respondemus breviter, superiores præservationis gratiâ magis, quàm intalò vel aliis locis inferioribus convenire, quia uterum non facilè afficiunt. Vide quæ Plempius, Fontanus atque Bruschius cum Zacuto locis allegatis disputarunt. Cæterùm virium robur, atque prudentia medici quantitatem sanguinis facilè determinabunt, licet parciore litatio meritò præferenda, & pro ratione potius repetenda, juxtà Sennertum l. IV. part. 2. s. 5. c. 3. quæst. 2. non neglectis confortantibus fœtum tam intus, quàm extus post V. S. adhibendis, de quibus in seqq.

Nonnulli, nè vires citò dispalescant, sæpiùs foramen digitis obfirmant, & sic alternatim fluere permittunt.

Si *Ætas* & alia phlebotomiam non admittunt, *cucurbitula* & *scarificationes* hujus vicem adimplebunt, præsertim in consuetis, in dorso vel aliis locis applicatæ. Est enim hæc mulierum propria, multumque efficax, quippè quæ naturalis excretionis modum imitatur, inquit *Oribasius medicin. Collect. l. VII. cap. 20. Non scarificatas* mammis applicandas ad hæmorrhagiam uteri suadet *Hippocrates 5. apb. 50.*

CAPUT XI

pharmaca ante partum instantem suggerit.

Talia hauriuntur ex fonte pharmaceuticò, qui satis fecundus est, iisque abundè scaturit.

Autoritate *Tralliani* & *Actuarii* freti cum *Langio lib. 1. ep. 17. depromimus* ex eodem **I. LENIENTIA**, *ἐπιπορωτική* seu *minorativa*, quæ sine notabili aut molestâ turbatione humorum intestina eluunt, alvumque servant lubricam, unde fœtus strictiora aliàs claustra feliciùs transire potest.

FORTIORA, etsi prægnantes integris viribus eorum vim interdum tolerare possint; cum adversas tamèn sæpè corpori nostro obtineant qualitates, fœtumque lædentes, consultò omittimus cum *Zacut. Lusitan. c. l. histor. 14. Sennerto l. IV. prax. med. part. 2. sect. 5. c. 3. quest. 3. & Fernel. l. III. meth. c. 11.*

Ex prænominatorum censu *casia solutiva*, (quæ quidem à *Foresto l. II. de febr. obs. 28. cum* renes vacuet, rejici videtur) *manna*, *senna*, *rhabarbarum*, *polypodium* & c. ac ex hisce præparata in officinis: *flos*, *electuarium casie*; item *diadamasenum*, *diacydoniatum laxativum*, *sirupus rosarum*, *violarum*, *de cichoriò cum rhabarbarò*, *looch passularum*, *decoctum prunorum*, *senna Mynsichti* & c. exoptatum nobis dabunt effectum. Neq; non voto & expectationi satisficient *massa pilul. Francof. Rolsincian. Glasfian. & scyllit. Dn. D. Præsid.*

℞. ∇.

Vel: ℞. ▽ cinamom. ʒj. meliss. borag. s. vin. āā. ʒʒ.
 tinct. corall. ℞. mann. Alexandr. ʒʒ. M.F. Potio.

℞. rad. scorz. glycyrrh. āā. ʒij. zedoar. ʒj.
 summit. meliss. mʒ. flor. 4. cord. āā. p. j. acac. p. ij.
 fol. senn. s. s. ʒʒ. rhabarb. ʒij. mechoacann. ʒj.
 sem. fœnic. anis. āā. ʒʒ. cinam. ʒj. cort. citr. ʒij.

concis. & contus. adspergantur ~ ℞. S. Species in eine
 Kanne Wein.

Vel possunt etiam *passula* cum sanguine *rhabarbari* para-
 tæ ad cochl. j. interdum assumi, vel \odot *amygdalor. dulc. recens*
expressum paulò ante partum in vinò vel brodiò carnis aut
 gallinæ imbibì, quod non solum ad laxandum, sed & emolli-
 endum & lubricandum à *Foresto*, & *B. Dn. D. Michaële*, aliisque
 adhuc commendatur.

Huc etiam spectant **CLYSTERES**. Quamvis ob dis-
 tensionem intestini recti, & compressionem uteri cervicis
 quidam applicationem eorum improbent, non est tamen,
 quod adeò formidemus, autoritate celeberrimorum medi-
 corum rationibus & experienciâ multivariâ meliùs edocti.
 Citò enim redduntur, ex emollientibus, vel ex lacte aliisque
 oleis & pinguedinibus parati. Formulæ possunt esse tales:

℞. rad. lilior. alb. pœon. althæe āā. ʒʒ.
 fol. malv. meliss. parietar. āā. mʒ.
 flor. chamem. mʒ. beton. verbas. āā. p. ij.
 sem. anis. fœnic. āā. ʒij. fœn. grac. ʒʒ.
 sic. ping. no. vj. baccar. laur. ʒj.
 decoq. in f. q. ▽ font. colaturæ ℞. ʒx.

adde mell. violac. elect. tenit. āā. ʒʒ.
 \odot amygd. dulc. ʒʒ. vitell. ovar. no. j.
 ℞. parum. M. f. l. a. clysmat. Applicetur
 pro more.

Vel ℞. cremor. ptisan. avenac. ℞. j.
 \odot lilior. alb. chamemel. lin. āā. ʒij.
 amygdal. dulc. ʒj.
 mell. scyllitic. butyr. clysmat. āā. ʒʒ.
 M. applicetur tepidè.

CAPUT XII

*confortantia tam gravidam,
quam embryonem respicientia
proponit.*

Necessaria omninò sunt hæc, & ita cõparata esse debent, ut partim matrib⁹, partim fœtibus in uterò maternò adhuc inclusis opem ferant promptissimam. Hoc verò præstant vel *specificè*, vel *spirituosâ qualitate*, quâ facultates languentes cordis, cerebri, uterique reficiunt, suntque: *Unicornu, cornu alcis, lapides pretiosi, corallia, perle, cortices citri, macis, cinamomi, zedoaria, caryophylli, lignum aloes, crocus, & aliæ plantæ uterum calefacientes, nervosumq; genus confortantes.* Ex his varia prostant parata: *spirit. analept. Rolf. liquor cord. Mysf. aqua cord. Saxon. cinam. borag. cydon. aqua vitæ mulier. elixir citr. cordial. vitæ Matthiol. tinctura corall. Mæb. & imprimis balsamum embryonum*, cujus frequentior est usus. Descriptiones variæ prostant, placet tamen beati fœceri *Dn. D. Gottofr. Mæbii* πολύ-
2815^{or} huc adponere.

℞. fol. meliss. m̄j. anthos, salv. āā. m̄j.
flor. prim. ver. borag. violar. āā. p. j.
femin. fœnic. ʒj. galang. macis āā. ʒij.
infunde cum spir. lilior. convall. cum crocò ʒvj.
rosar. ʒjv.

∇. cinam. ʒiij. zedoar. ʒiβ.

Digere per mensem, decanta & exprime fortiter, adde-
que *malvat. generos.* pro lubitu & serva. Dos. est *cochl. j.*

Cum verò non omnibus arrideant talia spirituosâ, ideoque, ne desimus etiam delicatioribus, autores sumus, ut solum ex jam nominatis & aliis speciebus destillatio fiat liquoris compositi sine vinò, qui eo lubentius assumitur.

Symptomatum etiam erit habenda ratio ante puerperium, ne ab eorum violentiâ gravida aut fœtus noxam adipiscatur.

Hinc

Hinc si urgeant DOLORES CAPITIS, VERTIGO vel MOTUS
CONVULSIVI seu SPASMATICI, sequentia possunt adhiberi.

Rx. ▽ epilept. Lang. ℥℔. ceras. nigr. beton. āā. ℥j.
unctur. flor. pæon. ℥℔. ess. gran. cherm. ℥j.

Fiat cum sirupō corallior. Quercet. q. s. ad gratum
sap. potio. S. Stärcktrānckl. auff etliche mahl.

Vel Rx. Mag. C. C. alces, succin. āā. ℥j.
perl. ppt. corall. ppt. bezoart. ℥al. āā. ℥℔.
ZZ. ℥ij opt. rectific. gr. vj.

M. S. Stärckpulver auff etliche mahl.

Rx. specif. ceph. D. Mich. ℥℔. succin. prepar. ebora. āā. ℥j.
⊙ citri, anthos āā. gutt. j.

M. S. Hauptstärckend Pulver auff 4. mahl.

Proderit etiam pulvis absorbens Nobilissimi atq; Excellen-
tissimi Dn. D. Wedelii Patroni, Promotoris & Hospitis mei piè de-
venerandi. Item essentia cephalica, nervina, liliorum convalli-
um &c. descripta in chimia Rolsinciana.

CORDIS ANXIETATES sæpe sentientes gravidæ,
expetunt & desiderant cordialia uterinis acuata. Palmam
ferè omnibus hinc præripit cinnabaris nativa Ungarica, cinnaba-
ris ⊙ secundum artem parata D. D. Presid. cum castorii pauxillo
imbuta. Dosis gr. x. xij.

Rx. ▽ cinam. cydon. ℥j. bals. embr. Rolf. ℥℔.

zedoar. lavend. āā. ℥j℔. namphæ ℥℔.

sirup. rosar. acetos. citri āā. ℥℔.

confect. alkerm. s. ambr. & mosch. ℥ij.

essent. croc. castor. āā. gt. x. M. D. in fictili.

S. Herkz Stärckung j. Löffel voll auff einmal.

Rx. margar. corall. prepar. āā. ℥j.

lap. ℥. ppt. ℥℔. lap. s. pretiosor. āā. gr. iij.

osf. de cord. cerv. gr. x. eleosacch. cinam. ℥℔.

M. S. Pulver vor die Herkens-Ängst / auff etl. mahl.

VENTRICULUS crebrius à vomitibus, nausæa, inap-
petentiâ, aliisque symptomatibus ita excruciat, ut proinde
exoptet remedia. Ad ejusdem debilitatem commendamus
sequens :

Rx. con-

Rx. *Conserv. fl. anth. lavendul. salv. āā. ꝛB.
rad. cichor. cond. ꝛB. cort. citri cond. ꝛij.
pulpament. nuc. mosch. in Ind. cond. cum nuc. no. j.
corall. ebor. prepar. āā. ꝛj. perl ꝛB. mastich. ꝛj.*

fiat cum *sirup. granor. cherm. & cinam. q. s.*

confectio in pyxide latiori D. S. *Stärcklatwerge.*

Proderunt etiam *tinctura aperitiva Mæbiana, elixir proprietas, antiscorbuticum, stomachale Mynsichti ex aromatibus, elix. Oli rubrum Dn. D. Pres.*

UTERUS ipse à foetu licet satis gravatus, gravatur sæpè & ulterius à frigore, flatibus, imò *hemorrhagiâ* periculosâ, ut ex antecedentibus patet. Hinc eidem auxilium ferendum juxta indicationes. Conveniunt ergò *castoreum* cum suis preparatis vel in ∇ & *spir. apoplect. amaro, elixir uterin. carminat. Dn. D. Pres.* & his similia.

HAEMORRHAGIAE satisfaciunt sequentia:

Rx. *corall. prep. bol. Armen. terr. sigill. āā. ꝛj.
margar. prep. ꝛB. M. S. Unhaltend Pulver /
auff 4. mal.*

In quorum etiam censum revocari possunt: *Tinctura corallior. tinctura ꝛt. adstringens, Ollum ꝛtis, & ex hõc parata tinctura antiphthifica, styptica, aliaque.*

Et si tandem ad ANODYNA descendere cogamur, assumi potest

Tinctura anodyna Dn. D. Wedelii, cum essentia castorii, vel Magister. anodyn. Rolf. cum magister. perl. & corallior. vel emuls. amygd. dulc. cum sem. pap. alb. parari & præberi potest.

CAPUT XIII

*externorum mentionem facit,
eaq; commendat.*

EXTERNÆ amplam hîc merentur laudem, quæ capiti, cordi, ventriculo, uteroque ipsi & embryoni auxiliares & salutares præstant operas. Ma-

Materia horum varia est pro ratione symptomatum. Sic cum imbecillis observatur fœtus, non primis solum, sed etiam ultimis mensibus umbilico adplicantur *cataplasmata ex pane tostô*, *placentis aromatizatis Norinbergensibus*, cum vino *malvaticô*, *balsamô embryonum*, *aqua carbunculi* parata, quibus ditiores *aromata varia* pulverifata admiscent. *Paupercule* contentæ vivunt solô *pane tostô spiritu vini* irroratô, quem in formâ *cataplasmatibus* umbilico imponunt per vices.

Vel ℞. *pulv. cinam. caryoph. nuc. mosch. āā. ʒij.*
macis, ʒj. croc. orient. ʒʒ.
placent. Norinberg. trit. ʒiv.

Fiat cum *balsam. embryon. & vinô Petri Simeonis cataplasma*, linteô excipiendum, & umbilico tepidè imponendum.

Inunctiones per aquas spirituosas, aut balsama odorifera, v.g. apoplecticum, cinamomi, citri &c. etiam conveniunt.

℞. ☉ *nuc. mosch. expres. ʒij.*
macis, caryoph. citr. destillat. āā. ʒʒ.
mastich. lot. in subst. ʒj.

M. In pyxide stanneâ,

D. S. Balsam zum Magen und Nabel.

SACCULI *ex cordialibus & stomachalibus speciebus* compositi non contemnendi.

℞. *Herb. melisf. rosmar. menth. crisp. āā. mʒ.*
flor. ros. rubr. stæch. Arab. spic. lavend.
lilior. convall. primul. ver. āā. p. j.
pulv. caryoph. cinam. cost. arom. āā. ʒij.
zedoar. mac. nuc. mosch. cardam. āā. ʒʒ. croc. ʒj.
rasur. lign. rhod. sandal. āā. ʒj.
ol. citr. ℞l. anth. ℞l. āā. gt. x.

Misceantur probè & adspargantur ∇ *carfunkuli* modico,

D. in syndon. rubrô formæ oblongioris.

S. Herk und Magen stärckend Säcklein.

Hic sacculus vel solus imponi potest, vel prius regio stomachalis inungi hoc balsamico spiritu:

℞. *spir. carminat. Dn. D. Pres. ʒij.*
ol. citr. anth. ā. gt. xv. succin. gt. viij. rut. gt. iij.

M. D. In vitro. S. Balsamisch Magen-Wasser.

H

Monen-

Monendum tamen hoc est, ut probè attendamus gravidarum ἰδιουγενεσιαν, siquidem non omnes suaveolentia ferre queunt. Ideò tales eligunt pro *ambra castoreum*, pro *moscho asam foetidam*, pro *rosis abrotonum*, *rutam*, *galbanum* &c.

His quoque placet unguentum *Comitissæ*, *emplastrum maricale Zacuti*, *libr. 3. prax. cap. 2.* aliaque, in quibus recensendis nolumus jam esse prodigi, sed lectorem ad *Lazar. Riv. libr. 9. prax. c. 3. Crat. à Krafftheim. libr. 4. conf. 32. & 5. conf. 40. Solenandr. conf. l. 4. obs. 4. Hildanum, & Hartmann. in prax. remittimus.*

CAPUT XIV

dieta gravidis ante puerperium præscribit.

FONS DIAETETICUS suavissimus est, cujus rivuli longè gratiores allabuntur, quàm feroces forsan chirurgiæ, vel fastidiosi pharmaciæ. Sicuti enim juxta *Hippocratis* solennem canonem: *natura morborum optima medicatrix*; ita sæpè beneficio hujus saltim fontis diætetici omnes noxas expellit, & ab ipsis se exonerat, ut illustres ideò reginæ hujus aulici non sine causâ ad blandiendum illi, huncce fontem magni æstiment, & ejus rivulos, singulari curiositate contra malevolos, *Helmontium* & *Paracelsum*, in egenos derivare studeant.

Sunt autem tres hujus fontis scaturigines: *naturalis, vitalis & animalis.*

I. NATURALIS τὰ ἐπιόμυα offert, seu *victus rationem*, quæ primas & supremas curationis partes in omnibus affectibus meritò obtinet, effato *Tralliani lib. 9. cap. 3.*

CIBUS parturientis vel gravidæ pro ratione cujuscunque status vel conditionis conveniet εὐχρηστικὸν καὶ εὐπεπτικόν, seu *boni succi facilisq; concoctionis*, qui in qualitatibus temperatus confertim & celeriter, ut loquitur *Hippocrates 2. aph. 18. alit*, cujusque celeres fiunt διαχωρίσεις. Et si gravida sit *intemperata*, tales, qui ejusdem intemperiem corrigere valeant, adponendi erunt.

Præ-

Præprimis *intercarnes*: pulli, capi, atque *turtures*, quorum ventres *granis juniperi & lauri* aliquot, *cass. lign.* 3℞. *cinam. integr.* 3j. repleti, conducent, juxtâ commendationem *Forest. l. 28. obs. 69.* Itè *ova tremula & fercula* ex ipsis cum pane vel succo limonum aut *arantiorum* condita.

Lactuca, endivia, borago, acetosa vulg. & hisp. &c. coctâ cum brodiô *carnis* optimum præbent nutrimentum.

Oryza cum *amygdalis & flore lactis* coctâ, ut & *milium*, (unde *sirupus Divi Ambrosii* apud *Cratonem* legendus) egregiam humectandi atque temperandi vim habebunt.

Ad volatilisandum verò sanguinem cibi condiri poterunt *aromatibus, crocô, cinamomo, mace, baccis juniperi, semin. anis. fœn. carv. cumin. salviâ, melle & saccharô;* moderatè tamèn, primis præsertim mensibus.

Inter *pomaceos* porrò fructus commendari merentur, *pyra, mala dulcia*, cum *pulveribus stomachicis* præsertim juxta *Primerosium*, ut & *arantia, chinensia, citri* ac imprimis *poma cydonia*, amoris tesseræ *Platoni* dicta, Venerique grata, quibus manducatis olim sponsæ in thalamum venire lex erat *Solonis*, ut prima inde salutatio non jucunda saltim sit, sed pulchri quoq; & industrii nascerentur filii, si *pregnans* iis vesceretur, adnotante *Pliniô libr. 15. h. n. c. 11.* Coqui igitur poterunt cum *passulis* in *vinô, crocô*, atque *cinamomô*, vel alitèr parari. Quibus tandem in *delicias* adjungimus *amygdala ambrosyna* cum *zibebis, dactylos* suâ viscositate abortum inhibentes juxtâ *Forestum, l. 28. obs. 66.* atque *ficus*, quæ assatæ atque appropinquante partu ante cibum singulis diebus comestæ, firmiorem secundinæ adnexionem impedire dicuntur apud *Heurn. libr. de morb. mulier. cap. 8. & Forest. d. l. obs. 69.* quarum usu quoque, *Nobilissimus Dn. D. Wedelius*, dolorem hypochondriorum in gravidâ feliciter desuisse in lectionibus publicis memoravit.

Econtrario *abstinendum* erit ab *amaris, salsis, acris, & diureticis*, vel etiâ *flatulentis* ac *menses cientibus* cibus, in quorum numerum recenset *Avicenna* *cappares, lupinos, cepas* ac *faseolos & alia.* Præterquam enim, quod gravidæ sanitati noceant,

non leuem quoque foetui noxam inferre, dudum observavit *Levin. Lemnius libr. 2. de occult. natura miraculis c. 22.* ita ut, quæ falsis nimirum delectatæ cibis, infantes sæpè sine unguibus peperissent &c. Unde *Helmontius libr. de Inject. mater. §. 8.* refert, prægnantem conchyliis nigra præcipitantè edentem, & testas simul crudas, bis vel ter modò concisas dente devorantem, foetum mox intra horam cum iisdem semimanfis testibus vulneratum in abdomine exclusisse. Quadrat hùc alia, quæ duos integros carpiones, tertiumque comedens relictò ejus capite, brevi post peperit tres filios, quorum tertius ἀκέφαλος *Ⓞ. sine capite* mortuus natus erat. Item alia grvida, carnes humanas coctas inter mundationem ossium dejustans, quæ triduum post sanum peperit filium. Vid. plura apud *Langium Epist. med. l. 2. Epist. 12.*

Quod si autem magno appetitu grvida feratur ad cibum mali succi vel aliàs insalubrem? Respondemus cum prælaudato *Dn. D. Wedelio*, eum non in totum ipsi denegandum, si non planè absurdus & contra naturam sit, sed modicâ quantitate desiderium explendum esse, adhibitis simul clam vel palam corrigentibus, aut foetum confortantibus, aut lenibus vomitoriis. Et si forsàn cibi expetiti planè particeps fieri non possit; svademus ex *Dn. D. Mæb. Institut. libr. IV. part. 1. cap. 2. ipsi mellis particulam cum nucem moschatâ, vel aquam ex tenellis vitis mensè majò destillatam, aut aquam cortic. citri, arantiorum, malvaticumve*, in quò radix pæoniæ macerata fuerit, exhiberi debere, ne foetui aliquid adversi accidat, vel nævus imprimatur, quod factum sæpius attestatur omnium locorum & temporum experientia. Sic & ipsi novimus mulierem halecem acriter, sed frustra appetentem edidisse infantem, qui ab ejulatu, & continuò labiorum motu, vulgò schmazen / non abstinuit, quàm acceptò hócce cibo. Cujus farinae quoque plura refert *Tulpius obs. libr. II. cap. 4.*

Quantitatem cibi mole atq; temperamento corporis mensuramus, ne gravetur, licet tutius forsàn fuerit, ob nutritionem foetus, in excessu, quàm defectu aberrare.

POTUM quod attinet, quò facilius nos refici, quàm cibus, non sine causâ judicavit *Hippocrates 2. aph. 11.* Ex ejus variis

riis

riis generibus præcipuè *vinum* commendamus, hominibus ad recreationem cordis datum, teste sacrò codice.

Commodum autem præ aliis erit *odorum & colore rubrum*, ob virtutem suam stypticam ut aliàs famosum, sic singulariter etiam gravidis commendatum ab *Hippocrate*, teste *Avicennâ libr. III. fen. 21. tract. 2. c. 2.* non exclusò tamen *Francicò, Rhenanò*, vel in specie *Petri Simeonis*, aut *aromatizatò*, moderatè sumtò.

Quòd si verò vino non assveta aliqua fuerit, cum inveta magis esse soleant molesta, *Hippocr. 2. aph. 50. cerevisia* benè defœcata, aperiendi vim habens, hujus vicem masculè supplebit. *Sorbitiones ex cremore prifana*, cum *amygdalis dulcibus*, vel *emulsiões*, & *tortilia*, *Krafftsuppen* / vulgò vocata, atque *mulsum Dantiscanum* gravidarum dulce refrigerium esse possunt; Ità tamèn, ut instante partu multis, variisque cibis aut potu aggravatus non inveniatur ventriculus, ceu *Primerosius* monet *cap. 4.* & *Benedictus Veronensis libr. XXV. c. 23.* Exiguò ergò cibò uti necesse est, qui tamen plurimùm alit, vinòque odoratò, exindè horæ intervallò.

II. Succedit VITALIS, & in eà primò AER, *magnus ille monarcha* juxtà *Hippocr.* Qui quidem eligendus erit *purus, limpidus, & temperatus*, magis tamèn ad calidum & humidum, quàm frigidum inclinans, cum omne frigus utero sit inimicum, juxtà *Harmon. Gynæcior. & Eroten. libr. de passion. mul. c. 16.* Hinc *austrinum, septentrionalem, ventis vel imbribus imprægnatum*, aut *tetris odoribus conspurcatum* maximè obfuisse constat, docetque experientia rerum omnium quotidiana magistra *herbarum* quoque *fortius vel suavius olentium*, aut *pyrorum & cydoniorum odorem*, imprimis in consuetis vel affectibus hystericis obnoxiiis, nocuisse, utrumq; commovisse, ut hinc *loca parturitionis vel Gynæcia hisce vacua svadeant Paschalius libr. de curand. morb. 1. c. 59. Dioscorides, & alii.*

ANIMI PATHEMATATA fanæ rationis freno cohibenda sunt, ἢ ἐν θυμῷ ἀφρονείᾳ καὶ δυνάμει, cum tranquillitas animi cor laxet, *Hippocr. 6. Epid. s. 5. t. 9.* Igitur *blanda colloquia, bilares conversationes, amena convivia*, atq; *musici interdum concentus* cor & animum reficient. Cane autem pejus & angve fugie

daerunt, *ira, timor, tristitia, meditationes continua, quae gravidarum pestes*, ac singulatim etiam *animi vitia* vel *rerum horridarum aspectus*, atque *loca precipitia*, quippe quibus saepe naevus indelebilis, innocenti foetui imprimi & affricari solet, ut vel cum *gravidâ* illâ apud *Salmuthum cent. 2. obs. 38.* vasculum zinziberis mercatori Lipsiensi clam subducente, filium, servis & ancillis varia utensilia non malitiâ, sed consuetudine furripiente pariant, vel *mutilum* cum *Serenissimâ Principe Curlandiâ* ex adspectu militis cuidam ministrorum manum amputantis.

Octavus nunc agitur annus, quô rustica quaedam ex pagô *Liechtenbain* maximè vicino nostræ *JENAE*, peperit filiolum, ex vertice membranaceo tulipam carneam eminentem habentem, cujus origo ex medio cerebri inter duplicaturam processus falcati membranosi fuit observata, post indagationem à *nob. Dn. D. Praeside* clam factam. Ex intuitu autem hoc tulipæ monstrum factum, cum staret in hortô quodam, intuereturque à figulo formatas figuras, in capitis cavitate tulipas insitas habentes. Hujus historiae fidem dabunt *Nobiliss. D. Posnerus, Prof. physices celeberrimus*, aliique vel ultra mille testes *studiosi*.

Nec abs re erit mentionem facere infantis alicujus, qui ante 14. dies exclusus non procul ab urbe nostrâ in oppidô quôdam, cujus nomen reticemus potius, quam divulgamus, caput leporinum integrum habuit, quatuorque dies vixit. Dicitur hujus matrem per annum aluisse leporem in conclavi, & à continuô ferè adspectu hunc errorem dependere.

Plura hîc possent notari egregia; sed remittimus potius *B. L. ad Hildanum, Schenkium, Tulpium & Helmontium, &c.*

III. ANIMALIS MOTUM ET QUIETEM justis ut temperentur mensuris, svadet. Hinc *EXSPATIATIONES* extra portas, inque *FLORAE* sacra, quò conflatô svavitatis odore ex herbarum fumulis embryo clementer proritetur, ut *Jason à Pratis c. l.* loquitur, atque corpus à motione leni maiore perfundatur, calorque natus excitetur, quàm maximè convenient, ità tamèn, ut ex *θεραπευτικῆ* non fiat *ὀδοροποιία*, quasi ab Olympiis corona sit petenda. Ex

Ex aduerso fedulò cavende erunt **SESSIONES** in humi-
lioribus sellulis, monente *Mercato in praxi l. 1. de morb. mulier.*
& *Eyssonio de ossibus infantum*, quibus uterus comprimatur, &
fœtus sæpè pravè figuratur, vel etiam *divaricationes crurum*
ad futorum similitudinem, undè sæpe fœtus ejusmodi pedi-
bus distortis prodière, adnotante *Paræo oper. chirurg. l. 25. cap.*
n. Quò etiam facient vestes arctiores, & thoraces longi fereq; ad
ipsa ilia demissi ac circumquaq; instrumentis à balanis mutuatis fir-
mati & *planchettes*, ut loquitur *Eyssonius de off. infant. cap 6.*

SOMNUS ET VIGILIAE aliàs maximi solaminis me-
dia sunt, & *visceribus instar cibi*, autoritate *Hippocratis 6. epid. 5.*
e. 9. hîc mediocritatis leges non transgredi debent.

Denique cum ad nutritionem non parùm etiam confe-
rant juxtà *Davissonium comment. in Sever.* **EXCRETA ET RE-**
TENTA; illa quoque merebuntur attendi. **ALVUS** ergò
suo semper respondeat officio, vel, si defit, *jusculis cum mannâ*,
aliisque *cibis laxativis*, aut *enemate*, vel *glande juxta Æginetam*
libr. 3. cap. 76. admoneatur. Sin verò crebræ *dejectiones* orian-
tur, *miva cydoniorum* vel *frustula cum vinò rubrò cocta* aliaque
styptica conducent, ut & *linimenta externa* ex \odot *spic. mastich.*
galangâ, *granis mastiches* & c. *cera & aceto* parata; vel *Cata-*
plasmata ex *crustâ panis* & *pulv. caryophyll.* cum *acero panta-*
fapiusque probata. **URINAE** *suppressiones* si adsint, iis succur-
rendum erit *cataplasmatibq* ex *radice petroselini*, *semine lini*, *pa-*
rietariâ, *chamemelo Romanò & nostrate*, *meliloto*, ac *similibus*,
vel *sacculis* aut *fomentis* exindè paratis.

Et ne *pororum cutis* fiat *obstructio*, **DIANA**E non improspe-
ræ litandum erit, cujus Numen jam olim celebre à gravidis
ad partum promovendum colebatur. vid. *Ludov. Bonaciolus*
Muliebr. l. 1. c. 4.

BALNEUM ergò ex *aquis dulcibus* cum *variis emollien-*
tibus & roborantibus, ut *alb. meliss. pol. mont. flor. bet. cheir. ser-*
pill. chamem. & c. paucis ante partum diebus parari poterit, in
quò ad umbilicum usque sedeat per semihorulam, ne ex ca-
lore vel subsequente sudore nimum debilitetur.

Post balneum venter \odot *amygd. dulc. chamem. cheirin.*
lumbricor.

lumbricor. cum adipe gallin. vel butyr. recent. non salito aut pomadâ alternis diebus ad extenuationem ventris & fissuras atque rugas præcavendas inungatur. Vel:

Rx. mucilag. semin. lin. fœn. grac. alth. cum ▽ lilior. alb. extract. āā. ʒʒ. axung. anserin. ʒj.

℞ lil. alb. amygd. dulc. q. placet, & ceræ alb. parum.

F. l. a. linimentum pro ventre post, vel etiam absque balneo efficax & egregium.

Cujus gratiâ pellis canina ℞ amygd. dulc. illita superposita ventri non inutilis erit.

Tandem **VENEREM** quoque nonnulli adorant medicam, lususque jaculatorios ad dilatandum uteri orificium commendant. *Sed plus spei ipsis affulgere videtur, quam rei, cum impar sit muliebris sinus exantlandæ huic voluptati. Venus ergo amatum suum Adonem in lactucâ sepeliat, concessum tempus iterum expectatura. Quod si verò mellita hujus solamina anhelet, moderatus ejus cultus sit, & cum summâ cautione: πάντων γὰρ μέτρον ἀείρον ὑπερβασίη δ' ἀλλεγει, inquit Phocylides.*

CAPUT XV

tractationem in partu prodit.

Imminens ærumnæ labor cùm puerperium sit, & difficulter exudabilis, omninò confugiendum erit ad sana consilia; siquidem non de febriculâ, capitisque inquiete hîc agitur, sed de vitâ res vortitur, quam semel exclusam nunquam intrò revocaveris, eleganter loquitur *Jason de Pratis libr. de pariente & partu cap. 3.*

Quamprimùm igitur parturiginis æstus fervere incipit, alvum vellicare, ilia torquere, vel morsicare dorsum, aut humorulentum quidpiam locis exturbari fœmineis, confestim **OBSTETRICIS** implorandum erit auxilium, cujus qualitates *Aristoteles & Græcus ille Moschio* brevibus describit, quòd *can-*
sarum

farum muliebrum edocta & medicinali exercitatione perita esse debeat. Seu, ut Harmonia Gynaciorum proponit, aptissima obstetrix est, quæ literas novit, & habet ingenium, præsentem memoriam, & est studiosa, munda, universo etiam corpore integra, fortis, laboriosa, non iracunda, non turbulenta, compatiens, sobria, pudica, arguta, quieta, prudens, non avara; unde & à Germanis eine weise Frau / vocari adnotavit Herlicius im neuen Frauenzimmer.

Talis cum accesserit, computatione temporis factâ, quò prægnans concepisse respondebit, subindè ventrem tangat, an sede motus fœtus descenderit, & inferiora dilatari cœperint, doloresque per intervalla repetantur atque cætera suprâ nominata signa observentur. Pòst inunctis digitis amygdalinò, sesaminò aut liliaceò oleò uteri ostiolum rimari, & apertum persentiscens felicissimè de proximo fœtantem consolari poterit; pro votis enim stare Numen cœleste, argumentum est certissimum. Prægnans tunc blandis adhortanda verbis ad monitum *Galen. 3. de facult. nat. cap. 3.* ut per gynæceum lentis gradib⁹ obambulet, suffulta mulierculis quibusdam, vel suppressis benè femoribus, si dolores ingruant, ad fellamque genubus paulisper inclinatis & manibus mensæ renitentibus ad mentem *Louyse Bourgois libr. obstet. part. 1. cap. 10.* sese sustineat, ut & attracto, quantum possibile, spiritu nisibus fœtui ad exitum succurrere contendat. Sin desinentibus doloribus parturiens in lecto aliquantulum quiescere desideret, ob vires conservandas, non dene-gandum, monente *Welschio in libr. obstetr. Mercur. addit.*

Posteà perita contempletur obstetrix tormina, & quam accuratè examinet, an perfecti facultatis expultricis atque fœtus impetus sint, à quibus impellatur & rotetur fœtus, quæque rectâ versus umbilicum vi excurrant; an verò vagi (*wilde Wehen*) vel dolores colici aut flatus, ut *Louyse Bourgois*, in serenissima *Regina Franciæ* ob multiplicem melonum, glaciei, uvarum & malorum persicorum esum observavit *libr. obstetr. part. 2. cap. 39. & 40.*

Periculum enim imminet tam puerperæ, quam fœtui,

si ante tempus, non instigante naturâ, in vanos hosce atque temerarios conatus labores conjiciantur. Hinc culpanda quarundam obstetricum infania, quæ inungendo, distendendo atque pellentia sæpè exhibendo, partum statim promovere satagunt, ut intempestivò tali conatu fœtus exitum petere cogatur situ præternaturali, & misera muliercula laboribus defatigata succumbere sæpè, aut prolapsum uteri vel partum experiri difficilem cogatur. Optimũ hîc remedium: **FESTINALENTE** juxta *Antonium Everhardi libr. de homin. & brutor. exortu p. m. 258.* Quod non incongrue annotarunt Medici Coburgenses, in *Unterricht vor die Heb- & Ammen/* quando in tali causa *radicem galangæ in* ∇ *mentha crispa* vel *fœnicul.* atque *serpilli* ãã *ʒij.* in vino vel ∇ *cumin.* aut *carv.* propinandam præceperunt, quò dolores vagi evanescant.

Cum autem *dolores veri* exasperantur, prosperoque delapsu fœtus devolutus atque ab interno orificio coronæ instar cinctus observetur, sellæ vel lecto committenda est, partusque labores animosè ac intrepidè ut sustineat, admonenda.

CAPUT XVI

modum pariendi subjungit.

Varii describuntur modi puerperii ab antiquioribus & recētiorebus. Antiquiorum jam tacemus ritum **IN FEMORIBUS** vel **SINU** fœminæ, cujus sacræ quidem paginæ *Genes. 30. v. 3.* mentionē faciunt; quod & de Delphicis obstetricibus *Forest. lib. 28. obs. 70.* refert, eas habuisse fœminas robustas, in quarum sinu peperissent parituræ.

Observatur hodiè à plurimis modus fœtum enitendi in **SELLA** quadam excavatâ, ad falcatae lunæ similitudinem, quem uberius descripsit *Moschio l. c. c. 47.* *Eucharius Rhodio lib. de hom. partu cap. 4.* & imprimis *Welsch. in addit. ad Mercur. lib. 1. c. 23.* qui novam insuper inventionem talismodi sellam simul lecti locò usurpandam adjecit. Circumvolvatur autem parturiens linteis inferiùs ita, ne liberior aër genitalia tangendo alterationem inducere possit. Alia:

Aliæ parant LECTOS duris stragulis juxta *Mosch.* inferiori parte excavatos & manubriis à lateribus firmatos, ut iis apprehensis parturiens corpus suum firmare atque fortiùs laborare possit. Vid. *Welschium l.c. part. 2. c. 2.*

Aliæ transversim IN LECTO SEDENTES, ita ut ex unâ parte in complexu validæ mulieris sustineantur, pariunt, vel humo infidentes aut fasciculo stramineo, ut rusticulæ miseræ linteis obvoluto, vel STANTES manibus tantummodò suffultis.

Quorum modorum quinam sit commodior? equidem disputare nunc consultò intermittimus, id saltim operæ dandum esse, notantes, ut ejusmodi situs probè observentur, qui nec fœtus motui, nec parituræ nisi⁹ impedimentum creent. Aliàs cuilibet liberû in eligendo pariendi modò relinquimus arbitrium, monentes solùm sedulò, ne temerè *Paritura* lacefsantur. Sitûs verò mutationẽ in diutinis laboribus si urgeant, surgereque velint, consentimus, modò fœtus ante ossa jam stans & quasi terebrans consentiat. Malum enim interdum tantum est, ut gratificari ipsis parumper, necessum videatur.

POSITURA parturientium si conveniens fuerit, præcaventur varia symptomata, tam capiti, quam collo, aliàs quæ insidiantur. Ligatò proin ut plurimum, irruentibus partûs doloribus, procedunt capite fasciis; quin & collum muniunt leniter restrictò collari, svadente sic *Sebizio in disput. med. 52. §. 40.* non solùm ob dolores caput aggravantes, sed etiam ad *βρογχοκήλην* præcavendam. Vel in sellam, vel in lectum deductæ, collocantur directè, ita ut nec protinùs supinæ, nec planè sedentes extent; sed erectò & sublimi aliquatè dorsò decumbant, quò liberior maneat respiratio, ac validiùs inniti possint curvatis & à se invicem divaricatis pedibus, qui inferiorem lecti partem tangere, vel cistæ aut scamno, cui obstetrix insidet ante sellam, firmiter adplicari debent. A lateribus verò ministrantes habeant mulierculas peritas, quæ non modò verborum blandimentò ad alacritatem atque patientiam adhortentur, sed & pro necessitate factis ad labores sustinendos admoneant, ut ingruente dolore non fatiscant in labore, aliàs vel in ipso jam jam

instante partu suæ quandoque parient infortunia proli matres, dolorum laborumque horum impatientes, ut habet *Eyssonius de osib. infant. p. m. 108.* Undè spiritu omni cohibitò ac ore clausò ut laborent, consultum erit; id quod felicius impetrabitur, si ab adstantibus caput parituræ leniter ad pectus anteriùs declinetur, & ita spiritus ad inferiora cogatur.

Interim **MINISTRÆ** brachiis manus admoveant, atque justò positu thoracem contineant, lumbos blandè contrectent, manibus compressis suffulciant, & pro ratione cum adhærentibus natibus leniter attollant, quo fœtus eò melius inferiora petat. Si verò vires deficiunt, animumque relinquunt, vinò aliisque odoriferis & confortantibus reficiant.

OBSTETRIX autèm decliviori in sellâ vel cistâ coram ipsa sedens, aversâ non nihil facie, ob verecundiam parturientis, juxta *Moschionem* lubricando emollientibus ex herbis & floribus, aut linimentis oleosis & pinguibus, vias, sensim sensimque ampliores reddendo, nisi b^o opituletur fœtus, accuratiori tamen studio, nè quicquam pœnitendum incidat circà genituræ momenta. *Veluti enim poma, inquit Jason à Prætic d. l. c. 3. cum gliscente maturitate manus poscunt, facillimè ab extraneis sauciantur, & livorem convulsa trahunt, succo ceu ex sanguine intercute suffusò, quæ cum cruda sunt, & intempestiva, vix imbre saxorum oppresseris; ita & tenerrimi fœtus.*

Exitum verò dùm minatur fœtus, prodireque audet in hunc mundum, *obstetrix* ei in continenti succurrat, manibus excipiat, prudenti tamè cum circumspèctione, ne in eruptione vel exitu in caput profiliat, aut aliò modò lædatur, mollibus tunc fovendus linteis moderateque calidis plumis.

Si verò præter spem se offerant **GEMINI**, qui simul cololum uteri obsederint, de exitu quasi concertantes, suademus cum *Moschione & Actio*, repellendum esse ab obstetrice, qui remotior fuerit, ad uteri fundum vel sinum. Quod fiet, si intromissis digitis ipse fœtus, extùs verò venter parturientis fursum flectatur, donec is, qui egressui propior, eductus fuerit. Sic enim alteri quoque via ad facilem motum parabitur, & fores quasi aperientur. Quæ omnia quidem expedi-

ri debent cum cautelâ citraque contusionem, oleis consuetis largitèr inunctis digitis, juxta *Welsch. c. l. part. 1. c. 27. Burgesiam Part. 1. cap. 12.* aliosque practicos.

Nunc eadem sollicita esse debet, omnemque navare operam *obstetrix*, ut à *secundinis* liberet & separet infantem recens natum. Id quod fieri potest vel ante, vel post eruptionem secundinarum. Et post hanc quidem, cum statim fœtum infecutæ; ante illam verò, cum diù retentæ in uterò fuerint. Testantur enim crebriora puerperia, illas nonnunquam aliquot horas delituisse, imò aliquot dies. Hinc suadet *Harveus* digitum in orificiò detinere, & *Aëtius retrab. 4. serm. 4. cap. 24.* calidâ & pinguefactâ manu illas extrahere, aut apprehensas placidè & leniter nullâ cum violentiâ huc illuc movere, & vertere, & tandem paululùm validiùs attrahere, cum *circumspectione* tamen, ne utero fiat injuria, ejusdemque prolapsus procuretur. Sin nolint hisce obedire admonitionibus, & exire, resecanda sunt vasa umbilicalia, filoque femoribus adnectenda, ne in fundum retrahantur uteri. Quid tunc faciendum, indicabunt subsequencia.

CAPUT XVII

præsidia ad partum facilitandum suggerit.

Naturam singularitèr nixurientibus favere, inter alia ex abundantia medicamentorum *vegetabilium, animalium & mineralium* penu patescit, quæ instar sagacissimæ matris ad facilitandum partum curiosè largita est. Etsi enim amicabilem hunc finem non omnimodè semper assequatur, ita ut confestim omnis evolvatur pariendi difficultas; multùm tamen faventioem evadere LUCINAM & faciliorem fieri ablationem, ÆSCULAPII sacrariis devotè si litetur, nullus forte àn negabit. Undè hîc quoque *in tempore venire rerum omnium erit optimum.*

Ad facilitandum atque promovendum partum in amplissimè

plissimô hocce naturæ erario meritò prima obtinent subsellia illa medicamenta, quæ aperiendi ciendique menses singulari virtute pollent, & asterismo ab Autoribus notata, qualia sunt *Aristolochia* ἀπὸ δὸνείν ἀείσα βονθεῖν ταῖς λοχοῖς à Dioscoride dicta libr. 3. cap. 4. *Dictamnus* à Paracelso libr. 9. histor. c. 16. (undè *LUCINA* florentib⁹ quondam coronabatur dictamnis.) *Cyclamen*, *zedoaria*, *cinamomum*, *sabina*, *pulegium*, *flores cheiri*, *croci* intra justî præbii terminos exhibiti *Rolf. meth. spec. comm. libr. IX. sect. 6. c. 1.* *Castoreum*, *lacryma cervi*, *Tali leporini*, vulgò *Hasensprung* / *myrrha*, *succinum* in Borussîâ in litore maris collectum, *borax* à *Fallopio*, *testes equini* à *Gesner. in Epist. ad Gasser. Augenio in consult. Heer. obs. 14. Fons. Tom. 2. conf. 81.* *stercus equinum* in vino expressum atque percolatum ab *Hartman. in prax. ac Forest. l. c. obs. 80.* *Secundina* atque *vena umbilicalis* à *Sennerto & Herlitio*, *fel & jecur anguilla* ab *Helmontio* commendata, aliaque.

Ex his & similibus composita sunt: ▽ *hysterica Dominarum*, *cinamomi Poterii*, *vita mulier. Rolf. essentia succini Mæb. cum arcan. ♀r. parata, tinctura uterina Mynsichti*, *croci essentificata*, *elixir uterinum Rolf. Mæb. Crollii*, si loco √ præprimis spir. croci vel appropriatus surrogetur, admista sub finem ⊖ *artemisiae*, *extractum castorei*, *trockisci de myrrha*, atque *balsamum myrrhæ* *remedium Mæbii* longè elegantissimum, cui notum est: *specificum cephal. Michael. Lucina Langii*, *species diaboracis Mynsichti*, *dia-Jovis* &c. quibus ex nobilissimâ chimia adjungimus *Galina* & *Galina*. Et quæ *Paul. de Sorbait Medicin. Pract. Tract. I. c. 84.* habet.

In principio, ne sangvinis effervescentia vel febris oriatur, adhiberi possunt moderatè mitiora, nempè *balsam. embryon. aqua typhor. C. C. malvaticum juniperinum Mæb.* per se, vel cum aliis. Vel:

℞. ▽ *cinam. typhor. C. C. Dominar. Myns. ãã. ʒʒ.*
liquor. cord. temper. August. ʒiij.
essent. succin. Mæb. ʒʒ.
unicorn. Oris Myns. gr. iij.
sirup. granor. cherm. q. f. ad grat. sap.
 M. fiat potio.

℞. ▽

Rx. ∇ lil. alb. artemis. compos. salv. ãã . 3j .
 Specier. diabor. ac. Mynsicht. 3ß .
 essent. ad partum Michael. 3j . M. fiat potio.

Rx. Specier. ad part. Michael. 3j .
 ∇ . polychrest. Nietner. seu \sim mund. in tractat.
 Lipsi. 1669. edit. 3j .

M. D. In vitro eleganti. S. Edel Krafft Wasser
 auf j. mahl.

Rx. Lucina Langii, specif. cephal. Michael. ãã . 3ß .
 Eleosacchar. cinam. gr. vij. M. f. pulvis pro j. dosi.

Alii commendant *trigam aquarum destillatarum, fumariæ, fœniculi, melanthii*, æquali portione ad cochlearj. ter unius dimidiæ horæ intervallo exhibitam, quam serenissima Princeps ELEONORA DOROTHEA, Ducissa Saxonie &c. in summâ habuit observantiâ, vel *fœniculi, cumini & chærefolii*. vid. Rolf. l. c. cap. 5. & 13.

Quibus si non exoretur DIVA, fortiora feliciora efficaciam successum pollicentur, qualia sunt *pulvis Heerii*.

Rx. Test. equin. prepar. borac. Venet. ãã . 3j .
 croc. 3j . M. exhibeatur in ∇ . artemis. cum vino
 Stat. pro ij. dosibus.
 Foresti libr. 28. de morb. mulier. obs. 73.

Rx. Cinam. elect. 3iß .
 rad. diptam. alb. 3ß .
 sem. viol. 3ij . lap. dactyl. 3ß .

M. f. pulvis in tres partes divisus, qui pro ratione reiteretur, vel

Rx. Pilul. ejusdem de asâ fœtidâ cum cyatho decocti sabina.

Vel Rx. pulv. secund. 3j . eleosacch. cinam. ãã . 3ß . M. D.

Rx. \sim fuligin. rectific. secund. ãã . 3ß . D. In vitrô. S.

Dreib = spiritus 30. Tropffen in Wein.

Item, quæ facultatem expultricem stimulant, & simul ad partum promovendum quodammodo conferunt, qualia sunt :

PUR-

PURGANTIA *leniom*, cum specificis ad partum mixta, quæ supra memoravimus. *Burgesia* ∇ *m rhabarb.* sæpius in hocce casu cum fructu exhibuit, *vid. part. 2. libr. obstetr. cap. 3.*

CLYSTERES ex appropriatis, ut

℞. *Rad. lil. alb. alth. āā. ʒj. bryon. arist. rot. ʒʒ.*
herb. mercurial. artemis. puleg. āā. mjʒ.
flor. malv. chamem. ā. mj. lil. alb. verbasc. āā. mʒ.
 coque in f. q. ∇ *font. colaturæ ℞. ʒxij. adde*
electuar. lenitiv. ʒj.
borac. ʒij.
 ☉ *lil. alb. amygd. dulc. āā. ʒʒ.*

VOMITORIA ex ☉ *amygd. dulc.* juxta *Forest. l. c. obs. 71.* quô sine & *Louyse Bourgois* ova cruda feliciter dedit *libr. 1. c. 14.* vel digitô in os insertô vomitum procuravit, à quibus tandem ad FORTIORA *emeti corum sidera*, $\ominus \oplus$ *li*, vel ad ☿ *vite*, tanquàm ad sacram anchoram in casib⁹ desperatis, confugere licet, qui hâc in parte etiam implet *cognominis sui mensuram*, & quantû *vite* studeat, nō sine miraculo pariter demonstrat, ut loquitur *Lang. in miscell. curios. p. 101.* de quo *Angelus Sala* aliquot exempla adnotavit, quòd, aliis omnibus in cassum adhibitis, hōc solô felices evaserint puerperæ. Idem testatur *Billichius libr. 2. obs. & paradox. chimiatr. cap. 14. pag. m. 169.* verbis admodum notabilibus, sed adnexâ simul hâc cautelâ, *succesum tunc sequi speratum, si fetus rectum habeat situm in caput ad exitum pronum, nec robustus sit, nec perumpere claustrum sufficiens, mater etiam deficiat in officio & expellendi conatu.* Confer *Rolf. chim. in artis form. redactam libr. V. sect. 6. cap. 13.*

STERNUTATORIA, juxta *Hippocratem 5. apb. 35.* non prius, quàm in extremis necessitatibus, si concedant vires, monente *Actio* adhibenda. In omni enim partu, prudentissimè *inquit Mercatus libr. de affect. puerper. IV. c. 3.* cavendum, est ab his, quæ vel maximam inferunt violentiam, vel uterum nimis propellere possunt, maximè si mulier talis sit, ut levi occasione uterus extrâ laxari aut prominere possit. Non ergò temerè lapis iste locô movendus, sub quô funestus dormitat scorpheus *Duci amat natura, non pelli.*

Mate-

Materia ptarmicorum in officinis usitata hinc erit ex usu, parata ex *majoranâ*, *lavendulâ*, *lil. convallium*, *cubebis*, *castorio*, *helleboro nigr. fol. Nicotian.* &c. aliquot guttis olei *lign. Rhod. succin. alb. aliorumque* irrorata.

CAPUT XVIII

amuleta examinat & externa alia addit.

Inter AMULETA, externè ÆTITES seu *Lapis aquila* sinistro femori vel cruri alligatus obsequiosam parituris operam conferre dicitur, ut absquè dolore fœtus excludant, sicuti contendunt *Dioscorides lib. V. cap. 100. Levin. Lemnius de occult. nat. mirac. lib. IV. cap. 12. & Francisc. Valleriola obs. medic. lib. 1. obs. 10.* qui experimentis quoque comprobarunt; ita tamen, ut exclusio fœtu statim amoveatur, quod de *Magnete*, quem in dextrâ teneat, *Boetius, lib. 2. de gemm. & lapid. cap. 53. & Corallis, Smaragdis atquè Jaspide* collo appensis; item de *draconteâ* pedibus, *croco coxis, exuviis serpentum* atquè *pelle leporina* ventri calidè alligatâ confirmant *Jason à Pratis, Crollius in libro de signaturis*, aliique. Item de *pennâ* vel *alâ Aquilæ* pedibus supposita, *Gvilielmus van dem Bosche.*

Hæc tamen meritò vilipenduntur ab Excellentissimò Dn. D. *Præside*, in collegiò curioso nuper instituto sub anatomîâ *Aquilæ*, undè diutius hisce non inhæremus.

LINIMENTA, CATAPLASMATA, SACCULOS &c. commendare potius præstat, à quibus major spes affulgebit parturientibus, præsertim cum præter antea nominata linimenta ex emollientibus & lubricantibus parata sint. Eatenus in magno æstimo habentur apud *Rolsucium. Oo guajac. & coryl. vel Oo philosoph. de Sagap. Myrrh. galban. Nat. succin. à Conrado Kunrath.* Item *axungia serpentum* atquè *fel anguille umbilico* illitum; statim autem post partum iterum abluendum, ne sanguis violenter expellatur. Ad eundem

dem usum commendatur ☉ *Zavis cum Zibetho & ☉ succini.*

Vel: ℞. ☉. cheir. sabin. galban. ℞. ā ʒij
castor. āā ʒjβ.

axung. serpent. human. āā. ʒjβ.

essent. croc. ʒβ. M. F. linimentum ad umbilicum.

℞. pulp. colocynth. ʒβ. succi ruta ʒij.

croc. ʒj. myrrh. ʒiij.

☉ lil. alb. ʒj.

M. c. farinā hordei q. s. fiat cataplasma; umbilico adplicandum.

℞. Artemis. meliss. puleg. āā. Mj.

baccar. laur. ʒij. juniper. ʒβ.

caryoph. nuc. mosch. āā. ʒj.

essent. succin. gutt. x. ☉ spic. gutt. vj.

M. ex speciebus his concisis fiat sacculus umbilico imponendus.

Vel: ℞. myrrh. galban. bdell. āā. ʒj.

castor. ʒβ. as. fetid. ʒβ.

fiant cum succo rutæ q. s. trochisci pro fumo per tubulum ad uterum mittendo.

Quod si verò omnibus hisce jam adductis exoptatus *evolutus* scopus attingi non videatur, utique vereri oportebit, ex interventu suprâ relatarum quarundam causarum atque efficaciam hanc suboriri *θλιψιν*, undè in specie quoque adversus ipsas primò omnium pugnandum esse, recta consulit ratio. Ideoque

Si ob frigus aliquod externum constrictiora foetui exitum concedere nolunt pudibunda, clavis erit *forus* ex his paratus:

℞. fol. malv. bismalv. alb. āā. Mj.

sem. lin. fen. grec. āā. ʒj.

rad. aristol. rot. ʒij.

decoquantur in ▽ *sabina* ℔j. ☉ *chamom.* violar. ʒj. & cum spongiâ vel filtro excipiantur, & adplicentur.

Deinde fiant *largis manibus* illinitiones oleorum dulcium *validorum.*

Vel:

75.
Vel: ℞. Mucilag. sem. lin. fœn. græci cum vino extract. āā ʒj.
pulu. aristol. rot. styrac. liquid. myrrh. āā. ʒij.
ol. amygd. dulc. lil. alb. āā. ʒij. M. f. linimentum, appli-
cetur calidè. Intrinsecus verò simul assumtis ol. ci-
nam. macis āā. gutt. ij. in vino, de quibus Mercat. l. c.
cap. 3.

Idem observandum in siccitate uteri, ex ∇ rum ante
tempus profusione, de quâ *Timæus libr. 4. de morb. mulier.*
cas. 25.

Si verò ex calore vires exsolvente, suprâ nominatis ci-
bis & potionibus medicamentosis simulque roborantibus suc-
currendum erit, & ut liberiori utatur aëre, providendum,
quò pactò *Soror Roderici à Castro* in maximo partus labo-
re diu versata, ex apertione fenestrarum resumptis viri-
bus feliciter peperit, idquè postea pluribus contigisse re-
fert *libr. IV. de morb. mul. cap. I.*

Si ex pinguedine, seu corpulentia, potissima facilitandi
partus ratio stabit in decenti atque congruò parturientis
situ. Ob id igitur in lecto vel sellâ supina flexis ad po-
plitem genibus, elevato magis ventre suppositis quibus-
dam culcitris, quàm thorace, erit collocanda fœtans, quò
nimirum uterus delabens rectâ cervicem extendat, idem-
que è directo ostioli habeatur, observatis insuper probè
inunctionibus prænominatis. *Forestus* quidem l. c. *obs. 74.*
talem figurari vult ex mente *Haly, Avicenna & Valesci* in
lecto pronam, supra genua vultu in terram dejecto, sicut pa-
riant quadrupedia, sed sine commoditate.

Si ob exiguam corporis molem, aut atatem admodum ju-
venilem, vel senilem *LUCINA* minus favens, laxantia & e-
mollientia continuanda erunt medicamenta, & per in-
fessis calidos ex decocto florum, herbarum & radicum emollien-
tium, aut per infusiones assiduas oleorum calidorum, amygd. dulc.
chamem. lin. lumbricor. lil. alb. vel per sacculos & catapla-
smata, pubi, lumbis ac inferiori ventris regioni imposita
magnificè opitulandum, quorum formulas antea dedimus,
& apud *Æginetam, Welsch. Gynæcia, aliosque* practicos abun-
danter prostant.

Quæ omnia quoque feliciorum atque faciliorem dæbunt exitum *infantibus obes*, vel proportionem paululum majoribus, aut etiam *exilibus & pusillis*, qui se ipsos sufficienter non juvare, vel nisibus maternis adjutrices manus validè præstare valent; ita tamen, ut *internorum* quoque sit memoria. Quò fine prænominatus *Timæus* d. l. suam adjecit *potiunculam* vel centies expertam:

℞. ▽ *artemis. meliss. cinam.*

hysteric. nostr. āā. ʒj.

Myrrh. elect. ʒiʒ.

succin. alb. præp. ʒj. croci ʒʒ.

M. f. *potiuncula* actu calida haurienda.

Cæterum si ob *crassitiem & firmitatem membranarum* infans non tam facile egrediatur, summâ unguium acie, ex consilio *Aetii*, cautissimè tamen, nè quid prætereà violetur, *lacerandum* erit *chorion*, aut intra digitos distentum, forcipe, forcice scalpellove separandum, quò uvida fiant naturæ labra, solutisque hisce repagulis gurges liberior ad humectandum & dilatandum erumpat.

Tandem, si ob *torminum evanescentiã* periculum, revocanda illa erunt *potu* ▽ *artemis. rubr. vel puleg. aut lilior. albor. cum ʒj. pulv. lychnid. arvens. aut succin. ʒʒ. in decocto cicer. rubror. vel antherâ juri incoctâ, aliisvè, quæ ad partum facilem præbuimus.*

Item, si *intestinum excrementis plenum*, fœtus exitum retardet, non digitis in genitalia immisissis, propter violentiam, defarciendum, sed glande liberandum, vel clystere eluendum erit, adnotante *Heurnio in schol. super 34. aphor. sect. 5. & Forest. l. sæpe c. obs. 70.*

Hòc modò etiam *in torminibus colicis, vel vagis*, si divegetur amplius, procedendum, ut assumtis ʒʒ. *amygd. dulc. ʒij. cum ▽ cinam. ʒj. post intervallum temporis enema carminativum* injiciatur, juxtà *Burgesiam l. c. part. 2. c. 11.*

Reliqua, cum statum partus præternaturalem magis respiciant, caput sequens exponet.

CA-

CAPUT XIX

præsidia ad partum in statu præternaturali adnectit.

Facile quidem omnes, cum valemus, recta consilia ægrotis dare posse, vetus est proverbium; at, si Jovis taxilli cadant obliquè, & interseptus sæpiculè fœtus conspiciatur, non resolutis naturæ foriculis, tunc labor, tunc opus est peritissimæ obstetricis & maximè industriæ.

STATUS PRÆTERNATURALIS verò accidit vel ex parte matris, vel fœtus, vel secundinarum.

MATRIS RATIONE seu fœtantis contingit difficultas pariendi, quando morbis partium dissimilariis, *phthisi, febrî, ictero* juxta *Forest. libr. 28. obs. 69. dysenteria* juxta *Hippocr. l. 7. de morb. popular.* aliisque est affecta. Prospici enim hisce fœtantis morbis exactè non semper potest, propter alia ex parte fœtus non rarò occurrentia contraindicantia; undè vires parturientis, quibus hœc in statu maximè opus habet, rescipientibus solum succurrendum erit, reliquaque naturæ committenda, quæ unà cum partu sæpè morbum solvere, & exoptatâ sanitatem inducere solet. Sic de dysentericâ *Amatus Lusitanus* refert *cent. 2. curat. 51.* quæ nullis præsidiiis liberari potuerit, pariens verò illicò restricta & paulatim sanitatem consecuta fuerit. Idem *Hippocrates* de *Epicharmi uxore* l. c. etiam comprobat, indequè dysenteriam ante partum salutarem judicavit. Confer plura apud *Amatum & Forestum*, l. c.

Hinc *vinum odoratum* vel *panis recens vino madidus* cum *nuce moschatâ & caryophyllis*, aliisvè svaveolentibus ex *ambra, moschô, macere* juxta *Forestum & Jasonem à Pratis* l. c. c. 3. naribus admovenda erunt, aut *confectio alkermes*, quæ languentem facultatem excitat, modò ferre omnes illam possent, vel species *Diagalangæ, Diamosch. Diamargariti calidi*, vel *frigidi*, pro ratione ægrotantis, cum *potionibus confortantibus* suprâ nominatis propinandæ. Vel:

K 3

Bj. ▽

℞. ▽ beton. meliss. salv. borag. aa. ʒj. Cinam. ʒʒ.
 specier. diamargar. calid. ʒj.
 diarrhod. Abbat. ʒʒ. M. f. potio.

Si autem vitium consistat in *offium pubis nimia coarctatione* vel *constrictione matricis orificio*, (cujus cura omnium gravissima,) præter ea, quibus juxta *Trotulam* sibi prospicere debet gravida antè partum, in diætâ, cibis *ευπεπτοις* s. *facile coctilibus* utatur; obstetrix verò, in *elevatione ventris* seu *locatione decenti*, & *inunctionibus* largissimis *lumborum*, cum *oleis* infusis *rosarum, violarum, cheiri, chamameli* &c. juxta *Schnurrium im Frauenbüchlein*; item *portionibus* foetum moderatè pellentibus, & *balneis* ex prædictis emollientibus, ut *laxationem* aliquam efficiat, omnem lapidem movere cum *prudentiâ* debet.

Si *tumores aut inflammationes orificium uteri* infestaverint, *sacculi emollientes* in lacte cocti, calidèq; impositi vel *fomentationes*, de quibus superius egimus, felices se præbebunt.

℞. herb. artemis. alb. malva, mercur. ā Mjʒ.

flor. chamam. melilot. āā Mj. grossiusc. concis. sacculo excipiantur, coquantur in lacte, & calidè affectæ parti applicentur.

Si partes genitales vel adjacentes *ulceribus, scirrhis, carcinomatibus aliisque p. n. excrescentiis*, (quæ vulgò *Feigwarzen / marisca, Masthörner* nominari solent) sint correptæ, feliciorum quidem ante partum curationem juxta *Hippocratem libr. i. de morb. mulier. prope fin.* quam in partu expectabunt; nihilominus tamen ad dolores mitigandos *inunctiones oleo lil. alb.* aliisque pinguedinibus suam locabunt operam, & præcipuè in excrescentiis s. *mariscis oleum lini cum vernice*, mixtum & *gossypio* impositum. Quibus *Aetius* adjicit, si ob carnem collo uteri innatam aut obstruentem tunicam pariendi difficultas oriatur, sicut *non perforatis* mulieribus, (quas *Atretas* vocitant,) accidit, quodcunque impedimento fuerit, amputandum esse, quod tamen ob periculum hæmorrhagiæ in partu aliaque symptomata sine singulari consultatione non audendum esse existimamus, licet *Atretis* non denegemus, utpotè quarum à partu sic liberatarum exempla pro-

pla prostant varia apud *Hildanum*, *centur. 3. obs. 60. &c.*

Sed *si uterus planè ruptus, & ipsius cōtinuitas soluta sit*, ex allegatis suprà rationibus tunc vehementiā tali juxta *Celsum* vehemens remedium opponendum erit, & quæ medicamenta non sanant, ea, juxta monitum *Hippocratis*, ferrum hīc sanabit, nempe *SECTIO CÆSAREA*, cujus administratiōnem svadet tunc urgentissima necessitas, vitam matris atque fœtus conservandi. Etsi enim nostris locis rara hæc tunc & inaudita fuerit, cum exoptato tamen & felici successu sæpius institutam fuisse, testes sunt *Rouffetus de partu Cesar.* *Bartholinus cent. 2. obs. histor. 8. Sennert. libr. prax. 4. part 2. sect. 6. c. 8. Fienus contrav. chirurg. atque Scipio Mercur. cum additament. Welsch. libr. obstetr. 2. c. 28. seqq.* qui operationem infimul fusè descripserunt. Cùm verò hæc operatio maximè sit momenti & periculi plenissima, caveat sibi imperitus. Admittitur autè exercitatissimus & peritissimus, qui *fœtum adhuc vivum in utero superstite*, matre inter pariendū extinctā, à carceribus suis liberare potest. Vegetū verò infantē annunciant insultus & motus, quos habet, naturales. Quòd si *gemi*, majori diligentia tractandi, & si unus mortuus, alter vivus primū erit eximendus, qui sic natus *CÆSAR* dicetur.

Tandem & *vesica calculus*, vel *hernia*, aut *prolapsus intestini recti* remoram injicere queunt. Omnia hīc circumspèctè agenda; quæ prolapsa sunt, reponenda, quæ impediunt, removenda, & inunctione factā, fasciis atque stuphis ità firmanda, ne iterum prolabi possint. Reliqua ex parte matris perpendenda, obstetricis ingenio committimus.

CAPUT XX.

Fœtus partum reddit difficilem.

Ex parte *FŒTUS* difficultas oritur in pariendo, cùm is fuerit magnus, vel totus, vel quoad caput; item cùm hume-

humeros habeat Platonicos, ideò tunc obstetricis officium est, ut parientem pro ratione indicationum collocet, eiquè omni operâ succurrat. Præsertim ut digitis suis tam caput benè tractet, ne, utpotè tenerrimum, lædat, quàm sub axillis attrahendo cautè agat.

Quod idem notandum *in monstrosis* fœtibus, pluribus capitibus, pedibus, brachiis &c. deformibus. *Figurâ vitiatâ* prorumpere cum intendit, vel cum *jacet transversim, latera, dorsumve prætendens, vel pedem, vel brachium exerens, vel nates*, (de quibus Zachias *Questionibus medico-legalibus libr. III. tit. 1. quest. VII. §. 23. quòd hi partus posticâ Venere concepti omnes in pedes aut aliò modò p. n. non verò naturali incaput nascantur*, quod triplici experientia confirmat,) sola *chirurgia* vel *tractatio manuum* salutaris erit anchora, cum natura stet post principia, ideoque quàm celerrimè ubi exitum significaverit, ad situm naturalem, vel simillimum eidem, reducendus erit, quantum modò fieri poterit, partim competenter collocando, elevatò corpore pedibusque, & supinò capite, partim autem digitis probe inunctis sedulò repellendo, adducendo, flectendo, & in rectum dirigendo. Sic enim Hippocrates *libr. de superfœtatione p. m. 646. Quùm vitali puero nascente manus præminuerit, primùm retrò retrudenda est, donec retruseris: & si amba præminuerint, ambas retrudes. Et si crura præminuerit, etiam hoc repelles. Ubi verò ambo crura in propatulo manserint, neq; alio processerint, fomentò uti opus est, à quò humectissimus uterus reddatur, &c. Et in libro de natur. pueri: Quicumque verò duplicati complicantur, & in osculo uterorum incumbunt, eos, sive vivi fuerint, sive mortui, rursus retrò protrusos vertere oportet, quo secundum naturam in caput exeant. Ubi optimè tamen notandum, quod non, nisi *nisibus fatantis remittentibus*, manus opera adhibenda sit, svadente ita Celso *libr. 7. cap. 29. Sic enim felicior erit expectandus eventus.**

Deinde si manum pedemve præmiserit, figurâ verò caput sit obliquâ, illâ parte neutiquam erit extrahendus, ne luxetur vel lædatur, vel planè abrumpatur, quod factum sapiens, notaverunt autores, & experientia, proh dolor! confirmat

mat

mat quotidiana, quæ obstetricum summam ignorantiam ac-
cusat; sed digitis potius probè inunctis humero, manibus,
coxæ, pedibus &c. succurrendum, usque dum ad naturalem
situm reducatur pars prominens. Hæc repostâ & fœtu rectè
locatô sternutatio commoda est, juxta *Actium & Aeginetam*
l. 3. Sæpè enim, inquit *Albucasis*, hœc in statu auxiliô & gra-
tiâ DEI, vidimus evasisse incolumes & matrem, & fœtum.

De aliis modis præter naturam, qui sæpè eveniunt, & quomo-
dò iis manuum opera succurri possit, cum omnes pratico-
rum libri plurima memorent, diutiùs in istis adducendis in-
hærere jam nolumus, sed benevolum lectorem ad *harmoni-*
am Gynaciorum, Trunconium, Forestum, Mercatum, Sennertum,
Welschium, Huxholzerum, vom Unterricht der Hebammen /
item *Medicos Coburgenses* ibidem, aliosque remittimus.

Hoc tantummodò monemus, si fœtus sit imbecillis, haustu
vini malvatici cum cinamomo, (nisi febris vetuerit,) esse
reficiendum, vel aliis suprâ adductis confortantibus. Si verò
fœtus in uterò maternò duriora fuerit expertus fata, diem-
que obierit planè suum, (id quod indicat horroris impetus,
quò percutitur mater, quæ postea totam molem, veluti sa-
xum in uterò decumbere, & admotâ manu de latere in latus
moveri sentit) roboratâ primò matre ob vapores adscenden-
tes tetros, & laxatis viis suis consuetis, pellentibus medica-
mentis quàm celerrimè ejiciendus erit, ne intemperiem u-
tero malaque alia inducat.

Inter talia vexilla tenent antea commendata fortiora.
Vel detur opobalsamum ad ʒʒ. in haustu vini generosi, à quò
quidam sterilitatē induci verentur, sed haustum lactis muliebris
ad acrimoniam compescendam, superbibendum svadent. Vid.
Mercat. l. c.

Vel ʒʒ. rad. aristol. rot. diptam. nostr. ʒʒ.

herb. verben. sabin. meliss. rut. mʒ.

flor. calend. cheir. ʒʒ. pii. croc. ʒʒ.

semin. lin. ʒj. cicer. rubr. ʒʒ.

cinam. cost. cass. lign. ʒʒ.

f. l. a. c. ▽ simplici vel destillatis specificis decoctum.

Colaturæ ʒʒ. ʒvij.

L

adde

82.
adde *theriac. diateffar.*

puly. Heer. ad partum āā. ʒj. ▽ *cinam.* ʒʒ.

sirup. gran. cherm. q. s. ad gratum saporem.

D. S. die tode Frucht austreibendes Träncklein / ein oder zwey Löffel voll öffters warm zu nehmen.

Quibus si finis optatus non responderit, *Purgantia*, quæ nos non adeò lubenter concedimus, sed *vomitoria fortia* potius, cum fœtus rectum habeat situm in caput ad exitum, pronum, nec robustus satis sit ad claustra perumpenda, commendamus, præprimis verò *Ærium vite*, si omnes circumstantiæ tam circa puerperam, quàm circa fœtum conspiciant. Hæc enim concussione abdominis repetitâ expultricem stimulant, exclusionemque fœtus promovent.

CLYSTERES etiam fortiores suum habebunt locum.

Suffumigia ex unguâ asini, galbanô, asa fœtid. anthophyll. myrrh. croco, cassia lign. rasur. aloes lign. laudantur, per infundibula admissa.

Pessi juxta Hippocratem l. 1. de morb. mulier. ex galbanô, cedrinô, aliisque parati commendantur. Vid. plura ibid. ad fœtum mortuum educendum non parvi momenti ab autore ipsô maximè commendata, & quæ Zacutus Lusitanus Prax. histor. libr. III. c. 17. habet.

Tandem si ne hæc prodesse videantur, ad portentosum artis medicæ opus, ἐμβρυοερελκίαν seu ἐμβρυοτομίαν extractionem fœtus vel totius, vel divisi, terribilè intuentibus, at exoptabilem puerperis, juxta Trincavellium l. c. c. 220. descendendum erit. Misera, velatâ facie, ad consilium Hippocratis libr. αεζ ἐγκαιροτομῆς ἐμβρύου, transversim in lecto ita collocanda, ut nec planè supina, nec omninò insidens & erecta sit, natibus subjectô pulvinari, solitô elatioribus, cruribus verò divaricatis, à robustis teneatur mulierculis, vel fasciis lecto alligetur, quò sub operatione corpus ipsius sequi, vel vigorem, tractus exsolvere non possit. Deinde panis vino madidi bucellâ ad arcêdum animi deliquium porrectâ, vel pauculo ▽ cinam. manus artificis sensim atque sensim immittenda naturalibus, ad venandum puerum emortuum, & sciscitandum,

83.
tandum, ubi uncus commo dè infigi possit. Qui cùm sese ad
orificium matricis naturalitèr in caput offerat, uncus inter
digitos occultatus oculorum cavitatibus vel ori, vel auribus,
vel mento, vel occipiti infigendus erit, extractioque moli-
enda movendo modò ad latera, modò directè partem appre-
hensam, usque obsequium præstet caput, & unâ attractione
sequatur totum cum reliquò corpore.

At, si *caput fœtus* humoribus sit refertum, & subumi-
dum, aperiendum forcice aut cultello, deplendumque erit;
vel planè ad id paratò forcipe, ab *Albucafi* descriptò, confrin-
gendum. Quod idem etiam de reliquis corporis partibus,
mole excedentibus, observandum.

Porrò : si fœtus in uterò *pedes*, aut *situm* alium *vitio-
sum* repræsentet, uncus pro ratione indicationum modò of-
sibus pubis & his vicinis, modò costarum interstitiis, com-
modiùs applicabitur, & ità ad naturalem situm si possibile,
membrum propendens dirigendum; si verò non, planè re-
scindendum illud, cùm obstaculo esse videatur. Idem ob-
servatur, si *manus* propendeat, ut retrudi vel reponi nequeat.
Tunc totum vel extrahendum integrum, vel ressecandum,
& frustatim educendum erit. Exactiorem hujus operati-
onis instructionem qui desiderat, *Hippocratem l.c. Celsum libr.
7. c. 29. Æginetam libr. 6. de re medic. c. 74. Albucafin libr. 2. c. 76.
Actium tetrab. 4. serm. 4. c. 23. Valleriolam libr. 5. obs. 2. Stephanum
libr. 3. de dissect. part. hum. corp. c. 2. Mercatum l.c. Baubinum, Rous-
settum, Sennertum, Rodericum à Castro* aliosque consulere pote-
rit.

Generosa sanè est operatio *ἐμβρυολομία*, quæ medicum
reddit celebrem adeò, ut DEUS habeatur, qui matrem per o-
mnia illæsam servavit, aque mortis violentiâ & funere ipsò
liberaverit. Id verò *jucundè* præstare potest medicus, & *secu-
rè*, præsertim is, qui informatione & instructione exercita-
tissimi Præceptoris usus fuerit. Tali nunquàm satis depræ-
dicandâ maectatus à B. ROLFINCIO, *excellentiss. D. D. Præses*,
per aliquot annos huc usque tam nobiles, quàm ignobili-
bus fœminis opem tulit tredecim vicibus invidendam, quæ



omnes, exceptâ unâ, hunc in usque diem vivunt incolumes & salvæ, & ferè omnes iterùm iterumque felices extitere filiorum vivorum matres.

Sunt alii, qui *solâ manuum operâ* & chirurgi solertiâ sine instrumentis mortuum educere conantur fœtum. Cujus descriptionem sibi frequentem tradidit *Stephanus* locò jam allegato, atque *Baubinus in observationibus Schenckii*, comprimendo abdomen impositò umbilico puerperæ orbe vel stanneò, vel ligneò, eoque fortissimè manu percussò, juxta *Bartholinum obs. cent. 6. histor. 83.* qui, quò remedi novitas fiat conspectior, exemplò uxoris centurionis cujusdam Alexandria in Insubriâ Dantiscanâ illustrat, *quæ cum nullò internò remediò propellere valeret fœtum, in angustiis materni sinus hærentem, atq; mortuum, præsentè animarum curatore, medicus Hispanus adferri sibi curavit orbiculum, qui mensa insterni solet, eumq; umbilico parturientis impositum, magno nisu manûs percussit, ut dolores clamore prodiderit puerpera. Et dictum factum extrusus fœtus, salvâ matre & superstite, sed largâ hæmorrhagiâ ob uteri conatus & dolores insequente.*

Verumenimverò nobis hæc ex uterò pellendi fœtum operatio suspecta videtur, ob violentiam, quam abdomen æquè, ac ipsi subjacentes partes pati coguntur. Commendamus potius obstetricis sedulam manuum subtilium operam, quibus utatur locò hamorum, uncorum, & furcularum, ad viam naturalem parandam; cavendo tamen, ne vaginæ uteri, subjacentique intestino recto, aut etiam meatui rio irreparabile damnum afferat.

Eductò ita infante, vasa umbilicalia educenda & cum ipsis secundinæ sunt; Puerpera verò ab arduis laboribus defatigata, medicamentis spirituosus erigenda. Loca etiam genitalia cum post eruptionem nimium vel rupta, vel extensa dolent, ea diligenter inungere oleis jam notis, aut cerevisiâ calidâ cum butyro non salitò fovere convenit, insimulque ab aëre vel frigore benè defendere.

CA-

CAPUT XXI

*difficultatem propter secundinas
& molam expendit.*

SECUNDINAE non minus quandoque negotium à partu facessunt, *exire nolentes*, sed post nixum exitum subterfugientes, unde gravia *symptomata*, ab occlusis, & putrescentibus vaporibus, *ventriculo, cordi*, atq; *cerebro*, communicantur, attestantibus *Gregor. Horstio l. 5. de morb. mulier. Foresto l. c. Smerio Miscellan. libr. 10. p. 175. Hæfero Herc. lib. 7. c. 5. Lælio à fonte consultat. med. 118. Altimaro de medend. humani corp. malis, p. m. 612. Zecchio Consult. med. 68. p. m. 660. aliisque.*

Vel enim uteri lateribus firmiùs cohærent; Vel ob diuturnos in partu labores intumescunt, & instar pilæ convolutæ, occlusum matricis orificium penetrare nequeunt; Vel ab obstetrice ὀμφαλοτομικῆ umbilicifecâ error committitur, cum umbilicum refecat, eundemque femoribus non alligat, antequàm eadem exierint; Vel cum per vim rumpit vasa umbilicalia, undè fursùm retrahitur placenta, detineturque, ex sententiâ Hippocratis libr. I. de morb. mul. p. m. 462.

Expulsio ergò locum habet, ejusque principium auspiciandum erit à *tussi, & sternutamentò*, naribus adplicatò, vel *fœtidis odoribus*, ex accensis *plumis perdicum, anserum & c. aut ungulis asini, equi & c. vel masticatione cepæ* contractò ore, quippe quò spiritus deorsùm quasi coguntur, ad præceptum *Coi, 5. apher. 49. Ad secundas deturbandas, sternutatoriò immisso, nares & os manu obtura*, maxumè *si vires adhuc integræ consentiant*, & tolerare possint.

Si huic valido remedio contumax reluctatur, suspicio est, illam utero firmiùs adnatam esse, id quod exitus infantis sinè gravibus doloribus & cruciatibus comprobatum, nonnunquam dedit, qui tamen aliàs intensi & acuti, propter cotyledonum ab uteri parietibus abruptionem esse solent.

Proindè svademus hòc in casu, ut obstetrix perita primum omnem adhibeat operam, manumquè exteriùs dex-

tram abdomini adplicet, continuâque, sed blandâ & molli tractatione abdominis vel hypogastrii ab uteri lateribus separationem moliatur, quod hætenùs felicissimò cum successu, & salute puerperarum suadente sic *nobiliss. D. D. Praside*, obstetrices nostrates præstitère.

Magni quoque facimus monita Medicinæ Patrum, *Aëtii, Albucasis, Moschionis & aliorum*, qui svadent digitis largitèr inunctis, ut & crebris oleorum tepidorum perfusionibus, & illinitionibus, os uteri clausum aperièdum, aut *specillo* diducendum, & adhaerentem secundinam digitis lenissimè avellendam, ità quidem, ut unò digitò fiat separatio, alterò verò uterus attollatur, ne imprudentèr simul protrahatur. Istam separationem *Galenus* κατὰ δάρον nominat, eademque, & ejus vis in publicis Anatomis, septies nunc anno, profectore *D. D. Praside* curiosissimo, felicissimè absolutis satis accuratè demonstrata & explicata fuit.

Cautelâ tamen hîc opus est, & videndum, ut illa extrahatur *tota*; nam & minima ejus relicta particula, gravissima sæpè symptomata, quin & mortem inferre creditur. Vid. *Joel. libr. 8. prax. sect. 4. c. 4.* Plura qui desiderat, adeat *Fabricium ab Aquapendente in operibus chirurgicis, & Scipionem Mercurium libr. 2. obstetr. cap. 30.*

Felicissimè etiam convolutam & per aliquot horas latitantem secundinam expetita medici periti manus beneficio uncorum latorum obtusorum & forcipis singularis hunc in usum à sapiùs laudato *D. D. Praside* comparati, educere potest, id quod ab ipsò diversis vicibus præstitum est.

Si verò talia recuset auxilia generosa, instandum est iis remediis, quæ aliàs ad expulsionem fœtus salutare ferunt operas. Siquidem maximè & hîc desiderantur & requiruntur talia expulforia, de quibus *Hippocrates libr. 1. de morb. mulier. Cum mulier, inquiens, peperit, & à secundâ non fuerit liberata, præstat dare ea, à quibus maxumè purgantur puerperii purgamenta aut incocta, aut assata vinò, & oleò cum polypis, & sepiolis super prunas tostis; castoreum verò aut nardum bibat, & c.* Item paulò inferius ad secundam frigore emortuam, ex prædictis

dictis herbis aut seminibus aliqua in hydromelite cocta cum croco
& mercuriali, mirè secundas movent. Confer & alia libr. 1. de na-
turâ mulier.

Omnia ergò antea nominata, quæ fœtum expellunt
mortuum, hîc etiam convenient, nisi sanguinis adfuerit di-
luvium. Speciatim laudantur pulv. testicular. equi, secundi-
na primipara, atque spiritus ejusdem; item, decoctum artemisia,
sabina, flor. croci, cheiri, lac muliebre potum &c.

℞. pulv. sabin. ʒʒ. croc. ʒʒ.

elaosacchar. cinam. q. s. ad grat. sapor.

Detur in ▽ lil. albor.

Vel quod Zechii remedium omnium efficacissimum, & hoc
in casu semper felici cum successu comprobatum est.

℞. borac. mineral. ʒij.

trochisc. de myrrh. ʒj.

succi sabin. depur. q. s.

fiat bolus, post quem statim superbibat decoct. artemis. ʒv.

Zacut. Lusit. pulverem ex carabe, castor. dictamn. puleg. ci-
nam. borac. spic. nard. myrrh. rub. tinctor. & croco commen-
dat ad expellendas secundinas præstantissimum, quo plu-
rimas Dei misericordia in agone constitutas liberasse refert
prax. histor. libr. III. c. 19.

Crato singularitèr commendat myrrham in ▽ cinamoni
assumptam, sed spiritus continendus est. Alii nervum halecis in
jure pisorum deglutendum svadent, de quibus vide consilia
Cratonis libr. 5. conf. 40. Vulgare est panis calidus cum oleo
lini umbilico impositus, sed non contemnendum.

Neque hic vilipendendi pessi, & suffumigia superiùs com-
mendata.

At, cum pertinacissimè inhæreat, nec ullis medicamen-
torum viribus, aut manu operatione revelli aut educi que-
at, per biduum, vel triduum naturæ negotium securè com-
mittendum erit, quàm violentèr & cum periculô domum
ex propriis ostiis extrahere. Putrescere enim nonnun-
quàm, & naturæ operâ solâ feliciter extrudi solet, dictitante
Hippocrates libr. I. de morbis mulierum. Fallax tamen o-
mninò

mnino hæc spes est, ceu optimè monet *Bartholinus exerc. de secund. & anceps remedium, moraq; periculosa, nec omnium robur perennaturum nobis polliceri possumus, aut successus exoptati certitudinem.*

Neque *suppurationem* medicamentis promovendam svademus cum *Primerosio*, ob metum inflammationis, & putredinis majoris; sed potius puerperam exquisitis epulis tunc recreandam esse, atque confortantibus erigendam, ut *Jason à Pratis c. l. cap. 5.* vult. Huic scopo inservient interius assumpta *Elixir proprietatis Mœbii* vel *pestilentielle D. Michaelis cum spiritu theriacali paratum*, ad arcendos putridos, in corpore vagantes vapores, & talia plurima. Item externè *suffitus ex aromatibus, thure, bdellio, styrace, cardamomo & caricis*, ut *Paulus* consulit apud *Mercatum l. c.*

Nec laude carebit suâ, modò vires ferant, *extractio sanguinis ex venâ tali utriusq; pedis, & ablutio frequens locorum muliebrium lacte vaccino, vel muliebri, cum rosaceo, aut etiam illinitio linimenti ex oleo vitell. ovorum parati, ex sedulâ admonitione Zecchii consult. medic. conf. 68.* donèc tandem fortè labefactata diffuat, & per saniem dissolvatur, evacueturq;.

Sed ad alterum membrum. Omnia jam enarrata secundinas quidem spectant, sed omnia etiam quadrant ad relictam MOLAM. Accidit enim, ut post exitum infantis atque secundinarum quandoque mola, vel informis caro, vaga vel adhærens, in matrice adinveniatur, non leve minitans periculum, & gravia suscitans symptomata, tumorem, inflammationem, anxietates, tormina, profluvium saniei, & grumosi sanguinis &c.

His obviam eundum erit specificis, e. gr. *pilulis Zacuti Lusit. Prax. histor. lib. III. cap. 16. obs. 1.* Vel

℞. *Extract. sabin. agaric. āā. ℥℥.*

trochisc. alband. gr. v. resin. scam. gr. iij.

m. f. l. a. pilulæ proj. dof. in ▽ sabin.

Item pulvere: ℞. *borac. dictam. Cret. āā. ℥j.*

secund. prepar. ℥℥. ∞ sab. gt. vj.

M. detur auff 2. mahl.

Vel

Vel composito: *Bz. rad. bryon. diptam. alb. asar. aristol. rot.*
 & long. āā. ʒj.

summit. sabin. fol. meliss.

flor. cotul. foetid. āā. m. iij.

myrrh. galban. gumm. ammon. āā. ʒj.

M. infunde vin. generos. viij. mensuras, digere per vj. dies,
 & l. a. destilla. Dos. cochl. j.

Si verò talia explodantur, chirurgia iterùm imploranda,
 & vel solâ manu, ut *Fabricius Hildanus* refert *cent. 2. obs. 52.* vele-
 jusdem singulari forcipe secundinâ, cautissimè tamèn, educen-
 dâ; aut, si nulla salus bello, pax poscenda ac naturæ commit-
 tendum erit negotium. Vide quæ *Hippocrates libr. 1. de morb.*
mulier. Fabricius cent. 1. epistol. cent. 4. observ. annex. epist. 39. Merca-
tus, Forestus, Welsch. Sennert. Rodericus aliij; citatis locis uberrimè
 proponunt, addentes simul, quibus post ejectam molam, hæ-
 morrhagiis & doloribus insequentibus subveniendum sit, de
 quibus inferiùs.

CAPUT XXII

tractationem post partum introducit.

Quemadmodum navis, superatò feliciter itinere in portu
 sæpè procellosis ventis & murmurante maris fremitu dif-
 fringitur & absorbetur; ita quotidiano quoque comperimus e-
 ventu, exantlatis parturitionis laboribus, enixam sæpè in vadò
 gravibus & periculosis admodum subesse symptomatibus,
 quibus gaudium de prole in mœrorem transmutatur, ut idcir-
 cò singulari tum respectu fœtatis, tum regiminis infantis pro-
 videntia opus sit.

Postquàm diutinos genituræ labores patienter exantla-
 vit, dignum erit, sui quoque rationem habere puerperam. Pe-
 dibus ergò, si concedant vires, modicè ad fundum lecti insi-
 stere, atque totum corpus pandiculari blandeque movere,
 conveniet, ut laxatis venis, & apertis epistomiis, stagnans in
 utero sanguis sine molestiâ exire possit. Cujus gratiâ, & , ut
 major fiat lochiorum ad inferiora descensus, aërisq; ingressus

M

impedi-

90.
impediatur, illicò cum molli fasciâ, vel cingulò humanò pingvedine malaxatò supra umbilicum succingenda, & sic in lectum stragulis ac lodicibus tepefactis componenda erit, quò dejectâ ex laboribus in partu vires iterùm calore & quiete succitentur, & leni sudore sangvis ad effluxum invitetur. Caveat verò benè ab omnibus aëris injuriis.

Hisce jam peractis, si laboriosa antecesserit partitudo, vel nunc uteri conatus ad expulsionem diris lancinationibus continetur, (quas *Harvæus l. c. posteros enixus*, vulgò *Nachwehen* nominat,) à sanguine grumosò, vel mordaci acriori, aut ab aëre, quòque frigidiori in uterum recepto provenientiibus, obstetrix è continuò concreti sanguinis copiam educere, vel ventrem atque ilia convenientibus sacculis aut oleis præmunire debet. In hunc usum commendamus sequentia externa:

℞. ʒ. chamomill. hyperic. cheir. aneth. āā. ʒ℞.

stillat. chamom. cort. aurant. rut. āā. ʒ℞.

M. S. Schmerzstillendes Oel / warm auff den Leib zu streichen.

℞. herb. artemis. puleg. meliss. matricar. fol. lauri,

summit. aneth. lupuli, ā. Mj℞.

flor. cheir. chamomil. āā. mj.

rad. zedoar. angel. āā. ʒ℞.

Incisa & contusa, adspergantur ▽ matricali, vel coquantur in vinò & calidè, vel quod melius ferè, solùm ad fornacem calefacta imponantur.

℞. emplastrum matricale Mynsicht. q. s.

malaxetur ʒ chamom. roman. per infusionem

paratò, & imponatur.

His adjicimus *Burgesia experimentum* de pelle arietinâ vel leporinâ, cum sanguine ejusdem calidè imponenda. *l. c. part. 1. cap. 18.*

Internè verò ʒ amygd. dule. vel ʒ cinam. gutt. v. succin. gutt. jv. in haustu ▽ a fontan. coctâ assumi poterunt, juxtâ *Rolf. l. c. Vel ▽ a, & essentia chamom. roman. aut pulvis secundin. à B. Dn. D. Michaëlis* feliciter expertus.

Vel ℞. pulv. Regina Gallie ex

rad. consolid. maj. ʒj.

nuel.

nucl. persicor. nuc. moschat. āā. ℥ij.

succin. flav. ambr. gryf. āā. ℥℥.

cui addatur ꝑ cinam. gutt. j.

Dos. ʒj. in vino vel jure.

Hunc *Burgesia* ita commendat, ut in subsequentiis etiam enixionibus tormina non reverti confirmet, *vid. l. c.* & plura apud *Zacutum Lusit. l. c. c. 20.* *Forestum, Horstium de morb. mul. libr. 5.* *River. cent. observ. appendic. obs. XI.* *Paul. de Sorbait Univers. med. p. m. 472.*

Tormina sequuntur *LOCHIA* mulieribus post partum, sicuti menstrua, communia, quæ quidem non quantitate vel duratione, sed conferentiâ & tolerantia erunt metienda. Si enim velut ἀπὸ ἰσπεῖς à victimâ procedunt, inquit *Hippocrates libr. de naturâ pueri p. m. 142.* i. e. florida, coloris rosei, ὑγρὴν sana est, καὶ ἴν τελέλην ὑγιαίνει & sana futura est mulier, & statim πύγνυται congelatur sanguis; si verò mulier sana non est, neq; sana futura est, χορραῖ ἢ καὶ ἄρασις ἐλάττω purgatio paucior procedit, & specie deterior, & non citò congelatur. Et *Moschio*, eò cognosces, quod sanguis uberrimus fuit primus, secundus fœculentus, & paucus, novissimè purulentus.

Unde omninò turbidis procellis effervescens si immoderate profiliat, cum prostratione virium, & resolutis spiritibus, aliisque symptomatibus, vel etiam convulsionibus animivè deliquiis, malum erit, juxta *5. aphor. 54.* Hinc sedantia convenient, quæ cautissimè propinanda.

Scopum attingent primò frictions & ligationes sericò rubrò atq; illinitiones ex ꝑ rosar. myrtillor. & unguentò *Comitissa*, & in specie ▽ *Spermat. ranar.* & rosar. pubi applicata; item fomentationes styptice ex thure, mastich. ros. rubr. quibus adjungimus ἐὼ πότεισον vulgi, stercus scrophæ calidum sub axillis detentum.

Hisce si nimium sanguinis profluvium non intercipiatur, ▽ *tenell. C. C. burs. pastor. fragor.* cum syrup. corall. *Quercet.* vel vineturâ *Aris*, *Olis*, aut corall. *Mæbii* aliæque propinari poterunt. Aut *V. S.* in cubito per vices institui poterit juxta *Forestum* & *Welsch.*

Aliquando suppressus hic fluxus observatur vel ob sanguinis crassitiem, vel retractionem à subitis animi pathematibus,

M 2

aliisque

aliisque de causis. Unde multorum quoque fit malorum nuncius. *Venter enim intumescit, dicit Hippocr. libr. 1. de morb. mulier. p. m 454. & splen & crura: & febris habet, & rigor corripit, & dolores profiliunt ad lumbos, aliquando etiam ad viscera. Et perfrigeratur, & febris habet: pulsus debiles sunt, & aliquando acuti, & aliàs attolluntur, aliàs deficiunt. Hec patitur incipiente morbo. Si verò curetur mulier, superstes erit, si citò curetur.*

Quocircà principiis hîc obstandum & ocysimè præveniendum erit huic in mortis fauces migranti, nè serò sapiant postea Phryges.

Erunt verò maxumè proficua scarificationes, atque frictions in inferioribus partibus adhibitæ, quæ si non sufficiant, & fontis scaturigo penitus dehiscat, Vena tali bis vel semel erit aperienda. Aliàs revulsoriis & sanguinem fundentibus quoque utuntur medicamentis, ut sunt decoct. cicer. ∇ a artemis. compos. cum sirup. ejusd. essent. meliss. spirit. & elixir. uterin. Mæb. tinctura Bez. Mich. J tialia, z vialia &c. omniaq; quæ fluxum menstruum provocandi vi pollent, sub quibus malvaticum juniperinum essentificatum Mæbii, blandum quidem, at probatissimum invenimus remedium; Item suffumigium Hartmanni secretum ex scoris Regul. J tis in vino coctis, & silicibus ignitis superfusis, & sirupum Zacuti Lusit. Prax. histor. l. III. c. 18. ad præservandas enixas, ne in morbos labantur, eximium.

Datur etiam hîc clysteribus emollientibus locus. Plura vide apud Practicos, Platerum, Massariam atque alios.

Cæterum nec hi morbi penes puerperium sufficiunt, sed subindè novos succrescere, quotidiana testis est experiëntia, qui omnes vel ab hõcce fomite lochiorum, vel ex morbosò corporis apparatu accendantur. Undè longiori horum atque tædiosâ diductione hâc vice superseedemus, primarios saltim recensentes, nè planè Facito in arduis hîc litare videamur; Cæteros verò ex Gynæciis legendos benevolo lectori linquimus.

Ac primum quidem nihil frequentius est FEBRIBUS, ut ex Cool. 3. pop. part. 3. constat. Inter quas à lacte ortæ periculo vacant, & sudore solvantur, si diætæ sit mensura; reliquæ verò pro ratione

tione indicantis, victu & evacuationibus curantur. De quibus vide *Mercatum c.l. Castro c.l. sect. 2. cap. 13.*

Has excipit singularis PUERPERARUM dicta PURPURA, pestis foror ob *ναρόν Σειαν*, de qua satis accuratè differuerunt *Mercatus Willis*, & alii.

Hanc sequitur ALVI FLUXUS non minorè medicis offerens hesitationem cum puerperio conjunctus, victus rationi meliori tamen obediens ad consilium *Hippocratis libr. de natur. mulier. & 1. de morb. mulier. Si ex partu fluxus corripit & cibi in ventre non maneant uvam passam nigram dato, & mali punici dulcis grana trita, & coagulum hœdi vino nigro diluto, ac utere.*

VOMITUS utcunque enixis superveniens grave & periculosissimum, juxta *Hippocratem libr. de natur. mulier.* Ad quem demulcendum, si eruentus fuerit, lac asinæ vel vaccæ nigre ad quadraginta dies potum & *sesaminum tritum* commendat *Libr. 1. de morb. mulier.*

INCONTINENTIA URINÆ vel PROFLUVIUM ob partum maxime laboriosum vel sphincteris aut colli vesicæ læsionem, cui *B. Rolsincius unguentum* miræ efficaciam, multaque probatum experientiâ parat, *ord. & meth. medic. spec. comment. Libr. IX. sect. VI. cap. 17. ut & Horstius libr. 5. de morb. mulier. p. m. 281.*

PROLAPSUS UTERI seu PROCIDENTIA sæpius observatur, rarò quidem in primis puerperiis; frequētius verò in aliis. Præsertim accidit 1. à *partu difficili*, cum nimium expultrix partes vicinas extendit; vel 2. ab *obstetricis rusticâ manu*, quâ distendere intendit easdem & digitis hinc indè dilatare. A quacunque tandem dependeat causâ malum hocce, consulendum ipsi tamen est, tam in partu, quàm post partum. In partu obstetrix circumspiciat diligenter, ne vagina uteri laxata & lubrica descendat, exitumque fœtui præcludat. Hinc digitis suis modestè reprimat, necesse est. Idem etiam post partum observandum, & uterus reponendus dextrâ & peritâ obstetricis manu, fovendusque locus benè. Maneat verò in lectò supina, caveatque puerpera à difficilibus expultricis conatibus, nè iterum nova fiat procidentia.

His obedire cum noluerit pars prolapsa, consilium *Flaterianum*

rianum tom. 3. de part. proci dent. cap. 2. proponendum, vel *globuli cerei axungia ursina* inuncti commedandi, vel *alii ex subere facti*, deploratis adplicandi, juxta *Scultetum in armamentario chirurg. tab. 22.* Vel etiam *alia* imploranda auxilia, praesertim si adultior factus fuerit hic adfectus. Vid. *Riverii prax. lib. 15. cap. 13.*

Alia symptomata, quae puerperam infestare queunt, post partum, jam tacemus potius, quam ut ulterius nos detineamus a praescribenda diaeta. Quibus vero placuerit, de iisdem legere possunt *Mercatum, Zacutum, Forestum, Sennertum, Eroten, Rodericum a Castrò, Harmoniam Gynaeiorum* aliosque.

RUGAS VENTRIS quod spectat, post puerperium relictas, convenit tam ante puerperium, quam post idem abdominis cum \odot *amygdal. dulc. lilior. alb. de spermate ceti, pomada*, vel *balsamo uterino Maebiano, &c.* inunctio frequens. His tandem leniter adstringentia admisceri possunt balsama vel olea, *masticinum & myrtillorum cum modico boli armeniae*, in forma lini-menti, & tandem superimponi *pellis canicula oleo amygd. dulc. imbuta*, vel *emplastrum cere Burgesia lib. obstetr. part. 1. cap. 26.* Vid. *Aetius tetrab. 4. serm. 4. cap. 112. Marinellus part. 3. lib. 4. cap. 4. Sennertus & alii.*

Adjicimus tandem in gratiam *delicatiores*, quae lactare vel nolunt, vel nequeunt infantes, ne febris lacteae vexentur, aut a praesentia lactis in mammis aliis fiant obnoxiae symptomatibus, commendamusque ipsis ad praecavendam lactis in mammis generationem interna & externa.

Interna alterandi vi & simul diuretica pollere debent. *Externa* varia commendantur, quae etiam facilius admittunt, quam interna, suntque *psyllium, coriandrum viride, tritum & adplicatum.* Item *folia viridia nucum, petroselini.* Lapis tritus *pyrites cum cerato* adplicandus suavis *Foresti lib. 28. obs. 82. in scho- liis.* *Emplastra & cataplasmata* parari possunt ex *melle, oleo rosaceo, populeo, cera, croco, terebintina, farina fabarum, lentium, sale, nuc. suppressi, succo menthae, salvia &c.*

Epithema linteum aceto madefacti, in quo *crocus hortensis* coctus est, laudatur, ut & *pannum lineum melli intinctum.* Conveniens tunc *mammarum constrictione* accedat, necesse est.

Lauda-

95.

Laudatur & in arcanis habetur *crystallus*, collo appensus
& gestatus, manibusque tractatus.

CAPUT XXIII

regimen infantis recens nati pandit.

PAUCIS addendum nunc est, quid circa infantum tractationem post puerperium & primis saltem diebus necessarium videtur. Quamprimum itaque felici fidere specum naturæ transiit infans, lucemque mundanam adspexit, statim, dum in sinu adhuc jacet obstetricis, eadem sollicita sit de vinculi, quod libratus in uterò maternò non aliter, quam in arbore pomum, resectione.

Locus deligationi vasorum umbilicalium commodus habetur aliàs 4. 5. vel 6. digitorum transversorū ab insertionem in umbilicum. Optimus tamen erit, quem nostrates observant obstetrices, quando vasa umbilicalia antè versus verticem capitis foetus membranaceum protensa *filò sericò chermesino* quater aut pluries contortò constringunt præcinduntque, non superstiosè *linò, vitrò, cannà acutà, aut cortice panis durioris*, sed *forfice vel scalpellò*.

Cùm imbecillis visitur recens infans, illicò obstetrix sanguinem in vasis sanguifluis umbilicalibus blandè reprimat versus insertionem vel radicem; imò adspersione *spiritus vini* aliisque temperati, vel *apoplectici*, vel *epileptici* &c. vel solum *vini generosi & fragrantis* ad lenem calorem tepesfacti, refocilletur semianimis. Vulgus verò locò horum spirituosorum, utitur *Æris vivi* accensione, naribusque adplicat non adeò procul, vellicando identidem nasum, & ita continuando feliciter resuscitant.

NÆVIS *Mahle* // infantes creberrimè recens nati conspiciuntur contaminati, undè sanguis amenti, secundinæ ipsæ, & lochia commendantur illita, quæ ad ipsorum deletionem, facere creduntur hætenus. Refert etiam *Nobiliss. & excellentiss. D. D. Craufus, Chimiæ & præct. Prof. publ. Patronus & Præceptor*



ptor noster maximè colendus, ex ore obstetricum Gallicarum, quæ ad eosdem delendos commendant *lambitum maternum* aliquoties repetitum.

Superstitiosæ mulierculæ nobiles recens *natorum labra*, fricant *arabicò aurò*, ut eadem evadant egregiè rubentia. Sed spe ut plurimum defraudantur suâ. Et nihil ad rem hanc facere posse hanc friccionem, testantur ruricularum filii æquè quàm filiolæ.

Illud potiùs attendendum, quod ad salutem corporis & animi infantum spectat. Nempè *non deponendi* in sinum, recens nati alicujus vetulæ, vel cadaverosæ mulierculæ, multò minùs concedendum, ut à talibus exosculentur, ne miasma, tam tenero corpori communicetur. vid. *Jason. à Pratis l. c.*

AD BALNEUM etiam progressus faciendus, quò exceptus infans à sordibus liberetur, juxta *Galen. tuend. sanit. cap. 10.* In *Galliâ* vinum tepidum fumunt, ad masculos; lac vero tepidum pro filiolâ, id quod hætenùs sedulò observarunt Gallicæ mulieres his in locis degentes. *Alia aquam simplicem calidam, alia verò eidem immergunt levisticum, chamomillam, rad. pæon. &c.* & recipiunt ad balneum. *Paulus de Sorbait med. pract. tract. 4. cap. 6.* balneum eligit ex ∇ *à & lacte*, æstate tepidum; hyeme verò calidum. Nobis placet *vinum miscere cum modicò aquæ*, utpotè magis reffectivum.

Lavandus ergò in hóc liquore spirituoso infans: lavanda facies cum linteò subtili in hóc madefactò; eluendum os est vel aqua cõmuni, vel fragranti, digito per hanc irroratò: lavandum deniq; totum corpus & liberandum à sordibus mucosis. Omnia simul considerari debent, præprimis *frenum sub linguâ*, quod si fuerit magis constrictum, non temerariè digito obstetricis rumpendum; sed *scalpellò, syringotomò, vel phlebotomò* diffindendum erit, aliàs fugere non promptè possunt.

Contemplandi porrò sunt omnes *meatus, situs & figura partium*, & si apertio, si correctio fieri debet, instituenda in tempore, cum obsequium adest cerearum adhuc partium ad figuram vel statum naturalem. Post balneum infans ex sententiâ *Pauli de Sorbait l. c.* cum pannò scarlatinò, ovò in vinò agitató intinctò fricandus erit, ut *levem* acquirat *cutem*. Ab-

Abolutô talismodi examine corporis, infans jam mundus FASCIIS LINTEOLISQUE mollibus excipiendus & involvendus est ab obstetrice, quod ad artem ipsi⁹ pertinet. Fasciatio quàm maximè necessaria est, ut omnes partes, aliàs fluctuâtes, contineantur, & tandem decentē figuram retineant. Arbores tenellæ prout alligantur vel rectæ, vel curvæ, ita succrescunt formamque retinent in senectute. Non alia res est cum infantibus. Linteolô excepta mollissimô vasa umbilicalia diligenter contorquentur in gyrum & componuntur.

Tandem *cunis* tam pensilibus, quàm aliis committatur in sublustri locô, ut molliter quiescant, membraque fugillata reficiantur. Cùm autem deponuntur, obstetrices eosdem signô *crucis*, in quâ SALUS nostra pependit, munire à strigum veneficiis solent.

Cùm per unam alteramq; vel plures horas dormierit infans, propinant delibandum *amygdalorum dulcium oleum* recenter expressum cum *saccharo penidio* in pulviculam redactum, vel *mannam calabrinam*, per vices repetendo, ad *meconium* expurgandum. Post elapsas verò X. vel XII. horas ipsi porrigendum consultum ducimus *lac maternum* aut *nutricis* degustandum, præsertim cùm rejecerit fordes istas tam per vomitum, quàm per alvum.

TORMINA cùm infestent, commendamus *decoctum flor. chamomill.* mitius, vel potius ∇ *am ex his* ∇ *am*, ∇ *fl. sambuc. fumar. &c.* Imò in subsequ. diebus *purgantia lenia*; *manna Calabrina*, *sir. scyllitic.* *sir. cich. c. rhab. &c.* quæ proportionabili dosi sine periculo propinavimus ferè omnibus, à quibus tanquàm opiatas assumtis placidè dormiunt, & sine molestiâ deponunt, quicquid molestias creavit, testantibus *Sennerto*, *Trunconio*, *Sorbait*, *Nostrisq; Dnis Doctoribus*. Imò si infanti talia commodè non dari possunt, nutricibus eadem cum emolumentô summô propinat *Dn. D. Præses*, præsertim adultiores cùm facti fuerint.

Cùm verò admodùm instant tormina, metusque sit, ne degenerent in periculosa symptomata, consentimus, ut *theriaca*, *mithridatii* granum unum vel alterum exhibeatur, vel *pulvis Marchionis*, *specificus viridis infantum*, & *crocei* qui est

N

colo-

coloris, vel cum lacte maternò^{98.}, vel aquis adpropriatis, vel cum pulticulâ.

Plurima quidem addi possent; sed inserviendum tempori & chartæ.

CAPUT XXIV

cum Diæta puerperarum claudit.

QVò tandem illud FELICITER! parturientibus acclamare possimus, superest DIÆTA, filia medicinæ fanè primogenita, quam amore svaviter complecti & sororio quasi vinculo sibi devincire, puerpera apprimè necesse habet.

IN VITALI AER purus temperatus sit, ad calidum tamen vergens, quò sudore, præcipuâ puerperarum medicinâ, leviter interdum perfundi possit. Vitetur autem *frigidus, ventosus, asper*, ne *algor* membra corripiat, lochiorumque fluxum retardet, & feroces tortores, tormina putamus, puerperis procuret. *Svaveolentia* vitare debet, & lectum *vernice* recenter obductum, quod testatur puerpera quædam tali in lectò pomposè decumbens gravissimis exin capitis doloribus, atque uteri strangulationibus miserè excruciatâ.

ANIMI PATHEMATA mediocritatis limites transgredi non debent, imprimis *Ira*, febrium fomes & puerperarum pestis, à quâ omnes corporis humores ante hæc exagitati, penitùs confunduntur; ut & *mæror, terror*, qui subitaneus maculam frequentissimè lactantibus matribus & mammis inurit gravissimam.

NATURALIS CIBUM primis diebus paucum, tenuem & facilis concoctionis ordinat, ne calor opprimatur, aliàs debilis. Nam à *repentinâ & copiosâ evacuatione ad plenum victum properare non conducit*, dicit *Hippocrates*. Jusculis ergò caponum, gallinarum & earum carnibus, atque ovis forbilibus, quæ minus onerant, aliisq; esculentis facile in succum alibilem convertibilibus sit contenta, usq; dùm sensim atque sensim succedentes dies pleniorum concedant vel svadeant. Abstineat se ab acidis, quæ fugienda sunt, cum ipsa lactat puerpera.

Porus

POTUS *cerevisia* sit benè defecata, vel pauculum etiàm vini generosi cum pane immerso, febris nî adfit; *frigida* verò actu eadem assumere noxium est, monente *Primerosio*, & ventrem faciunt tumidum. *Vid. Bartholin. cent. 4. obs. histor. 75.*

ANIMALIS. Mutuis hîc se exosculentur vicissitudinibus SOMNUS & VIGILIAE. Somnus quidem statim post puerperium non concedendus, usque dum puerpera suas iterùm collegerit vires. Sin vigiliæ exoriuntur immodicæ, attentatâ causâ exturbandæ, ne febres accendant. Conveniet *decoctum bordei cum passulis & glycyrrhizâ* cum pauxillô *cinamomi*, corticumque citri flavedine pro potu & refrigeratione juxta *Burges. part. 1. c. 21.*

MOTUS & QUIES sicuti ad mentem *Hippocratis 2. apb. 51. πᾶν τὸ πολὺ τῆ φύσιν πολέμιον*; ità moderentur suis regulis. Primis diebus *quies* ad reconciliandum robur virium erit necessaria & molli quassata concedere membra grabato. Recuperatis ex parte viribus leves ambulationes in gynæceo concedimus; at præcoces extra hoc LUCINÆ sacrarium liberiori aëre suscipere planè dissuademus; non enim omnium dierum vespera, & audaculas tales gravissimas exin luere oportere affectiones, testatur experientia & cum ipsa illustri matrona audacula. Servent proindè legem purificationis diebus dictitatum.

Monendæ etiam hîc sunt mulierculæ, paganæ vel urbanæ avaræ, ne hoc tempore de humô tollant graviora pondera, aut brachia sustollant ad arripiendum, multò minùs vociferationibus, tussi aut sternutationibus indulgeant, omnia fugiant, quæ uterum nondùm ad naturalem statum deductum turbare, aut dimovere valent.

EXCRETA ET RETENTA medio tutissima ibunt; at si segnior alvi expultrix, (quæ primis duobus vel tribus diebus non attendatur) glande vel clystere invitetur, cujus usum *Ibis* volucris monstravit, rostri ad uncitatem marinâ se perluens, eâ parte, per quam ciborum excrementa reddi salubre est.

Hûc spectant BALNEA ultimis purificationis diebus maxumè proficua, tam ad effricandam illuviem contractam, quàm membra post effluxum lochiorum iterùm adstringenda, atque ad conceptionem adaptanda, juxta *Hippocratem libr.*

de

de natur. mulier. Parari possunt ex *menth. puleg. serpill. ros. sicc. ehamom. fol. querc. plantag. balaust. cortic. cass. granat. rad. consol. maj. alumin. aliisq;* cum vino coctis & aqua permixtis, quibus sacculo impastatis insideant, & flaccidas quoq; foveant mamillas. Vel conveniet \odot *myrtin. nardin. & mastich.* naturalibus applicandum. Tandem membra saponem de amygdalis amaris, pulv. rad. ireos Flor. cum vitell. ovor. &c. in vino & ∇ mespilorum calidâ defricent, & sic musteum iterum comparent sibi colorem, atque virginalem amœnitatem.

Neque admittant æstuosum VENERIS amplexum. Marito blandiri quidem possunt; sed declinare prudenter omnem excessum. Quò felicius hoc præstare possint, modò velint, in memoriam revocamus ipsi Athenienses matronas, quæ in foliis viticis, ne VENERIS tangerentur æstro, tum temporis somnum capere solebant, usque dùm puerperii terminos feliciter superaverint. Sed terminus esto!

Sacro sanctæ Triadæ nunc cõsociatis spiritibus pro suppeditatâ benignissimâ operâ excogitatissimas persolvimus gratias. Faxit colendissimum Numen, ut studia porrò nostra in divini sui nominis gloriam & multorum agrotantium salutem felicissimè cedant. *Non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam in amplissimò hõcce studiorum pelago!*

Tui autem, benevole Lector, candoris erit, ea, quæ ad amussim satis non perpolita, vel temerè nimis atque crudè pertractata sunt, bono interpretari animo, & piscem sine spinis haud inveniri cogitare. *Ἐδέποτε τὸ ἀμαρτάνειν μετὰ τὴν τῆ ἀνδρὸς δίανοιαν ἔστι.* Nunquam hallucinari, suprâ captum hominis est, inquit *Galenus comment. 3. prognostic. Hippocr. t. 41.* Homo itaq; cum sim, humani à me nihil alienum puto. Interim tenuitatis probè conscius, in præsentia arduam atque amplissimam hancce materiam levi saltem penicillo adumbrare volui, donec tempus atque fortuna dabunt coloratiora. VALE!

Errata. Pag. 19. lin. 13. esse adde *debere*, lin. 14. facere adde *singulis diebus*. pag. 22. lin. 19. pro XIII. leg. XXIII. pag. 23. lin. 13. pro *l. cit.* leg. *l. 4. de gener. anim.* pag. 27. lin. 12. *libr. 4.* adde *part. 2. sect. 6.* pag. 38. lin. 25. pro *serm. 16. c. 91.* leg. *tetr. 4. serm. 4. c. 22.* pag. 43. lin. 7. *ac magnus*, adde *& frigus detinet.* pag. 45. lin. 34. *med.* adde *part. 2. sect. 7. cap. 9.* reliqua B.L. facile emendabit.

Nobi.

Nobilissime Dn. VVESENERE,

Magnam opus aggredieris, dum tractas *Parturientes*;
Sed labor hic certò præmia magna dabit.

*Ita ominor, insimulque
felicissimam praxin animitus adprecor*
Rudolphus VVilhelmus Krauß/
Ph. & Med. D. P. P.

Heu! *quanta sepe Cypridis dulces manent
ignes pericla! quanta gaudium mala!
Sperata proles, fructus ardoris bonus,
eneçta, Lucina minus favente ope,
matrem, tumultu non satis moto, necat.
Contra hæcce naturæ occubantes copias
juvare satagens nomen inseris polo;
& sibi relicta continere est gloria!*

Clarissimo Dn. DOCTORANDO,
Inquilino suo & Auditori hæctenus assiduo, mode-
sto ac exoptatissimo, de feliciter exantlatis studiis
& consequentibus honoribus ex ani-
mo gratulor

Georg. VVolffg. VVedelius, D. P. P.

Miramur usque, quas manu DEUS fecit
operas; tuemur mente sedulâ, quicquid
in viliori conditum latet flore;
Inquirimus quos caulis asper affectus
habeat; meatu quò trahat suum radix
succum rubi; queis Canna crescat amnensis
donis; & in quâ toxicum viget virus,
habetur herba sæpius manu, mente,
animoque, circumvolviturque non rarò.
Quidni suorum volvat usque membrorum
requiemque primam, fœminæque perpulchrum
& asciatum corpus ille mortalis,
quem fecit alnum Numen, ut foret sollers,
& curiosus pulchriore doctrina?

Quic-

Quicquidprehendit mens profundior tali
in mole, mirum est, ac jucundius scitu,
quàm arcana florum. Sive sit dolor tristis,
huic sexui qui desuper laboranti
dictatus, illò sive sit magis gratum.
Proin tuæ das nunc scientiæ signa
ac invidendæ gloriæ locas firmum
fundamen, in hóc tùm jam labore desudas.
Sint fausta cœptis, Numinis favor pronus!

Quod ex animò vovet

PRÆSES.

TE Pallas, WESENERE, novem pars clara Sororum,
vidit anhelantem laudis adire viam,
atque Machaonias semper pervolvere chartas,
quæque Podalirii continet arca senis.
Fœderis amplexus hinc prodiga porrigit ipsa
& dat, quæ reliquis sæpe negata, TIBI.
Nam mercede beat TE dignâ, quam TIBI cura
& vigil ingenii promeruère labor.
Hinc etiam mea Musa vovet: Tua gloria crescat,
Fama TIBI innumeras conficiatque tubas!

Nobilissimo & CL. Domino Doctorando, Civi honoratissimo,
Fautori & Amico colendo, meritisimos honores
Imque gratulor

Valentinus **Veltthem** / Moralium P.P.
& h. t. Fac. Phil. Decanus.

V I R O

Nobilissimo, Experientissimoque
Sacrae Medicinæ DOCTORANDO dignissimo,
Chemico excellenti.

COMMUNIS vox est: **EXPERTO CREDE RUPERTO**;
Expertus es, quæ de puerperis doces.
Chemica, quam calles, sapientia sæpe fugavit
Molem gravem Puerperi symptomatum.
Hinc **TIBI** nemo fidem poterit de jure negare,
EXPERTO ego lubens **RUPERTO** assentior.

Imque f.

M. Paulus Linsius, Adj. Witt.



01 A 6605


ULB Halle
003 092 054

3



V 17





B.I.G.

Farbkarte #13

47.

METHODUS
tractandique
IENTES,

uctoritate
Simi COLLEGII
almâ Salanâ,

ÆSIDIO
NI HENRICI
III, D.

n. Prof. P. famigeratissimi,
axonici gravissimi,
PROMOTORIS æternùm colendisfimi,

CENTIA
nores, Insignia & Privilegia
RALIA

mè confequendi,
examini proponet
OPH. WESENERUS,

IS SAXO.
ANNO M. DC. LXXV.
is ante- & pomeridianis.
d L. vel A. salivam moveat, nisi lasciviori:
impurum, non auferet infectam.
Institut. Medic.

HANNIS NISI.

